NAHUMI

DE NINO VATICINIUM

EXPLICAVIT

EX ASSYRIIS MONUMENTIS ILLUSTRAVIT

OTTO STRAUSS.

A. MDCCCLIII.

PROSTAT BEROLINI APUD WILHELMUM HERTZ

LIBR. BESSER.

LONDINI APUD WILLIAMS ET NORGATE.

CONSPECTUS LIBRI.

PROLEGOMENA.

COMMENTARIUS.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE NAHUMO VATE.

§. 1. DE NOMINE NAHUMI.

Nahumi vaticinium de Nino editum priusquam deinceps enarremus, primum disputandum nobis de vate est. Nec multa sunt, quae hac in quaestione licet indagare. Nomen eius et origo in titulo notata reperiuntur; dein, quo tempore et quonam loco fuerit vaticinatus, concludendo elici atque definiri potest; praeterea nihil statuere pro certo valemus. Age igitur in nominis inquiramus significationem.

Nomen נַחוּם repetendum est a. v. נחם; habetur autem in eorum vv. numero, quae altera radicali l. reduplicata et producta eius vocali formantur, cfr. Ewaldi ausführl. Lehrb. 1844, §. 155 b; quo in genere pronuntiatio וּ ad passivam et intransitivam pertinet notionem, cfr. Ew. ibid., d; §. 149, d; cfr. רחוּם, שׁכּוֹל, חנוּן, אלּוּף; significatur igitur is, qui plenus est eo, quod indicatur verbo. Iam vero נחם, quod in f. Kal non legitur, in reliquis speciebus plerumque notat consolari; cfr. Gesenii thes. a. v.; ulciscendi enim potestas paucis tantummodo locis invenitur, v. c. Niph. Ies. I, 24; Ez. IV, 13. XXXI, 16. XXXII, 31; Hithp. Gen. XXVII, 42. Possit ergo duplex sensus verbo subiectus esse: aut eius, qui solatio affectus, solatio plenus est, aut eius, qui ulciscitur, qui non sine ultione offenditur. Ac si verbi respicimus usum, priorem illum praeferemus, praesertim cum nomina omnia

ab hoc verbo derivata non ad ultionis, sed solatii notionem pertineant, v. c. נֹחַם misericordia Hos. XIII, 14[1], נִחוּמִים, תַּנְחוּמִים, תַּנְחוּמוֹת Hos. XI, 8; Ies. LVII, 18; Sach. I, 13; Ies. LXVI, 11; Iob. XV, 11 all.; neque vero nomina propria, quae huc cadunt, alterum flagitant sensum, נחם 1 Paral. IV, 19. נחמיה, Neh. I, 1, נחמני Neh. 7, מנחם 2 Reg. XV, 17 ss., תנחמת 2 Reg. XXV, 23. Recte igitur significationem nominis reddidit CARPZOVIUS[2]: qui solatio affectus est; sensum potius expresserunt HIERONYMUS, LUTHERUS, ABARBANEL, cum interpretarentur: consolator; nam si quis magno ipse solatio affectus est, alios quoque probe valet consolari.

Haec autem nominis potestas vaticinii indolem uberius paullo post explicandam adeo perfecta comprehendit specie, vix ut temere quis videatur opinari, non personae nomen, sed appellationem officii illius, quod deus vati iniunxerit, expressam in titulo indigitari, quemadmodum Malachiae nomen a gravissimis quibusdam interpretibus expositum est[3]. Quod quominus admittamus, monemur primum eo, quod adiecto eius oppidi nomine, unde Nahum fuerit oriundus, certa quaedam vatis persona innuitur; tum vero quod Nahumi nomen apud Iudaeos haud ita raro reperitur[4]; v. c. inter Iesu etiam maiores in tabula genealogica a S. Luca exarata nono a Iosepho loco commemoratur *Ναοῦμ*[5] *τοῦ Ἐσλί* (III, 25). Iam vero vix est, quod notemus, cum antiquis omnino temporibus, tum apud Israelitas nominum tam origines quam significationes in amplissimo loco fuisse constitutas; pleni enim sunt ll. ss. exemplis eorum, quorum nomina, vel parentum spe et desiderio nuncupata, vel inspirante deo imposita, ingenii indolem et vitae rerumque gestarum rationem expressa fere atque praeclara referant imagine; quo in genere magna praesertim prophetarum pars est afferenda, Elias, Iesaias, Sacharjah all. Potest autem ea natura, quam Nahumi nomine descriptam vidimus, aut ad deum referri, aut ad prophetam; ubi illud sta-

---

1) Cfr. SIMSONII Comm. in Hoseam p. 329.

2) CARPZOVII Introd. III, p. 384.

3) Cfr. VITRINGA obss. II, p. 367. HENGSTENBERGII Christol. III, p. 372 ss.

4) Cfr. Mischna Baba batra V, 2. Schabb. II, 1. Nazir V, 4. cfr. HITZIGII proll. in Nah. WINERI Realwörterb. s. v. GESENIO auctore (thes. s. v.) in Phoeniciis quoque marmoribus exhibetur.

5) Sic enim LXX reddiderunt nomen.

tuimus, Casparii[1] verbis ratio rei optime illustratur: „Zu allen Zeiten gab es in Israel zahllose Personen, die in ihren Namen für sich selbst und ihre Volksgenossen eine immerwährende umherwandelnde Predigt waren von dem herrlichen Wesen und den grossen Thaten Jehovah's, ihres Gottes, so wie davon, wie das Herz zu ihm stehen und was man von ihm erbeten und erwarten sollte.“ Quod ubi ad nostrum nomen transfertur, licet satis praeclarum praebeat sensum, negari tamen nequit, de iis potius nominibus valere, quae cum v. יה composita sunt, atque adeo aptius adhiberi in explicando v. נחמיה, quam simplici v. נחום. Quare, si ad hominis potius atque vatis referendum naturam videtur — nisi forte nomen puero a parentibus temere nec ulla sensus ratione habita impositum esse putandum est, quo in genere affirmari nihil potest — existimabimus Nahumi forsan parentes Israëlitas[2], cum regnum Ephraimiticum gravibus plagis ad internecionem usque concuteretur, constituto infantis recens nati nomine similia nuncupasse vota, qualia fecit Lamech, cum nasceretur Noach, Gen. V, 29. Utcunque est, praesagium nominis egregie evenit. Nahumo enim contigit, ut potentissimi hostis funditus evertendi species per visionem divinitus excitatam ei offerretur, unde summo ipse affectus solatio Iudaeos simul Manasse rege suo privatos, perniciem atque exitium ab Assyriis metuentes, consolaretur; nec eos solum, verum omnes omnino regni divini cives, qui seculari potestate unquam forent oppressi atque pessumdati. Ac licet ad notionem nominis hunc in modum explicandam, ubi initium praesertim libri spectamus, magis idonea esse cogitatio ultoris videatur: altera tamen illa et praeclarior est et cumulatior; „hostium enim deletio,“ ut I. H. Michaelis utar verbis, „ecclesiae est consolatio.“

---

1) Ueber Micha den Morasthiten p. 19.

2) Cfr. §. 2.

3) Cfr. Caspari ibid. not. 20: „Bald fixirten fromme Eltern Lebenserfahrungen, die sie überhaupt oder grade eben gemacht hatten, oder ihnen wichtige Wahrheiten für sich und ihre Kinder durch die Namen, die sie ihnen gaben, ... bald legten sie Wünsche, Gebete, Glaubenshoffnungen für dieselben in ihrem Namen nieder, die der Herr oft glänzend erfüllte und dadurch in Weissagungen verwandelte, ct.“

§. 2. DE ORIGINE NAHUMI.

Quoniam de nomine diximus, quod vaticinio praefixum reperitur, iam de origine agendum est ibidem declarata v. הָאֶלְקֹשִׁי; quo secundum amplissimam exemplorum similitudinem docemur, Nahumum natum fuisse in oppido s. vico Elkosch. Deprehenditur enim consuetudo in ll. ss., ut eorum prophetarum qui nec nobili quodam genere orti nec eximiam ipsi celebritatem nacti fuissent, patriam una cum nomine inscriberent in titulis, qua ab aliis eiusdem nominis viris distinguerentur. Sic Abia declaratur Silonita 1 Reg. XI, 29, Micha Morasthita Micha I, 1, Ieremias Anathothensis Ierem. XXIX, 1.

Antequam autem de situ huius oppidi quaeramus, absolvenda eorum opinio est, qui patrem prophetae v. 'הָאֶלְק indicari existimaverint. Quae non exorta recens est; HIERON. in prooemio asseverat: „quidam putant Helcesaeum patrem esse Nahum, et secundum hebraeam traditionem etiam ipsum prophetam fuisse;" nec ignota CYRILLO erat, cum diceret: „ἐκληψόμεθα γάρ, οὐχ ὡς ἐκ πατρὸς, ἀλλ' ὡς ἐκ τόπου μᾶλλον τοῦ Ἐλκεσαίου· καὶ τοῦτό φαμεν ἐξ ἀναγινωσκόντων ἔχοντες τὴν παράδοσιν. et apud EPIPHANIUM de vitis proph. c. XVII, ubi de origine Nahumi disserit, adscriptum est in margine: υἱὸς Ἐλκεσαίου ἀπὸ Ἰεσβεί. Putant etiam nonnulli vv. dd. IONATHANI targum huc referendum esse; at verba eius מִבֵּית קְשִׁי in utramque partem possunt torqueri, GROTII autem et DRUSII sententia, qui scribae mendum arguunt pro מִבֵּית אֶלְקֹשִׁי, coniecturae vix superat dignitatem. Secutus est hanc omnino opinionem VATABLUS, cum suspensi inter utramque et inopes consilii haererent ABEN-ESRA, KIMCHI, VITRINGA typ. doctr. proph.; grammatica quidem ratio utramque admittit sententiam [1]; at vero 1) longe saepius, ne quid confunderetur, prophetarum maiores notantur v. בֶּן, cfr. Ies. I, 1; Ier. I, 1; Hos. I, 1; Ioel I, 1; Iona I, 1; Zeph. I, 1; Sach. I, 1; 2) de patre Nahumi nihil omnino traditum memoriae est, cum de vico Elkosch sat multa acceperimus. Quare eorum quoque nugis praetermissis, qui symbolicam aliquam notionem e nomine elicuerint pluviae serotinae (v. מַלְקוֹשׁ), quia post Ionam cecinit

1) Cfr. GESENII Lehrgebäude §. 122, 2.

(Abarb.), vel etiam a tarditate vindictae (all.) — longe plurimorum tam nostratium quam veterum vv. dd. sublevati consensu (e quibus v. c. afferimus R. Salomonem Iarchi, qui affirmavit: אלק׳ היה שם עירו), confestim ad gravissimam quaestionem de situ Elcesi instituendam transeamus.

Nostra memoria in duas omnino partes abierunt interpretes. Alii iique et longe plurimi et vetustissimis adiuti testimoniis locum in terra sacra quaerendum existimant, alii in Assyria, haud procul ab ipsa Nino; ab hac parte constiterunt Eichhornius Introd. §. 385, I. D. Michaelis, Grimmius, Hetzel Bibelwerk VII, p. 175, Ewaldus, Ritter Erdkunde vol. IX, p. 742 ss., Tuchius comm. de Nino urbe, Layard Nineveh p. 125 ss. Age utriusque fundamenta et argumenta examinemus diligentius.

I. Elkosch fuisse in Palaestina situm 1) primo loco ex antiquitate testimoniorum patet. Tradidit enim Hieronymus in prooem: „.... cum Helcesaei (all. Helcesei, Elcesi) usque hodie in Galilaea viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudaeis et mihi quoque a circumducente monstratus“[1]. Quod testimonium eius viri, qui in ipsa terra sacra vivebat, Cyrilli Alex. confirmatur verbis, qui eodem fere tempore de v. *Ἐλκεσέ* docuit: „*κώμη δὲ αὕτη πάντως που τῆς Ἰουδαίων χώρας.*“ Quo addendus etiam videtur Eusebius, qui in Onomastico S. S. nihil quidem habet praeter haec: „*Ἐλκεσέ, ὅθεν καὶ Ναοὺμ ὁ Ἐλκεσαῖος,*“ tamen, si vicus non fuisset in Palaestina, sed in Assyria situs, nescio an notasset.

Eodem fere ab aliis ducimur auctoribus, etiamsi minor eorum videatur gravitas esse. Pseudo-Dorotheus de prophh. „Hic

1) Cuius testimonii vim infringere sibi videbatur Gesenius, cum thes. a. v. asseveraret: „Crederem homini, si vicum Elkos monstrasset, sed viculum Elcesi (ut tunc legere solebant אלקשי defective scriptum) monstranti non magis credo, quam mystagogo nostratium, qui peregrino homini germanice non admodum docto de oppido Hallische, Hallenser sciscitanti, ne quid ignorasse videretur, confestim vicum oppidumve proximum quodque ostenderet. Minime certam de ea re extitisse traditionem, vel ex diversitate eius apparet.“ At minus temere iudicasset v. d., modo diversis nominis pronuntiandi modis atque traditis a veteribus de situ eius opinionibus quidnam subiectum esset commune, diligenter reputavisset; ut omittam Hieronymum, qui maximam vitae partem in Palaestina degit, vix peregrino alicui Halas praetervolanti fuisse comparandum.

Nahum erat ab Elltesi (Elcesi) trans Bethabaram, de tribu Simeon;" et EPIPHANIUS[1] de vitis prophh. c. XVII: „οὗτος ἦν ἀπὸ Ἐλκεσεὶ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου εἰς Βηγαβὰρ ἐκ φυλῆς Συμεών." Hinc alii apparent hausisse: HESYCHIUS presb. de vitis prophh. (cfr. CARPZOVII introd.): „ἀπὸ Ἐλκεσεῖν, πέραν τοῦ Τηνβαρεὶν, ἐκ φυλῆς Συμεών;" postremo ISIDOR. HISPALENSIS lib. quaestt. c. XLVII: „Nahum de tribu Simeon in Helcesi trans Betharim natus ibique mortuus iacet in tumulo." — Iam ut ab EPIPHANIO proficiscamur, Βηγαβάρ frustra in omnibus terrae sacrae partibus quaeritur; neque enim confundi debet cum Βηγαβρί, uti scripsit THEOPHYLACTUS, et quod IOSEPHO teste (b. Iud. V, 26) non trans Iordanem, sed in Idumaea situm erat; imo sequenda nobis HUETII[2] et RELANDI[3] erit sententia, qui Βηγαβάρ ex DOROTHEI Bethabara censuerunt corrigendum[4], quo et aliorum etiamsi corrupta tendunt nomina Betharim, Τηνβαρεὶν, all. Licet autem Bethabara magnopere regione differat a Galilaea[5], et testium illorum in minutis rebus dubia maxime fides sit: hoc saltem ex hisce etiam patet nominibus: s e c u n d u m t r a d i t a m d e i n c e p s I u d a e o r u m e t p a t r u m s e n t e n t i a m E l k o s c h s. E l c e s i f u i s s e i n P a l a e s t i n a s i t u m.

2) Quo accedit, quod aliunde etiam haec sententia confirmatur. Fertur enim Ebioniticae haereseos Elcesaitarum[6], alias Sam-

---

1) De utriusque fide et auctoritate cfr. DELITZSCHII diatriben de Pseudo-Dorotheo et Pseudo-Epiphanio, commentationi de Habakuki proph. vita ct. adiunctam. Lips. 1842.

2) Demonstratio evangel. propos. IV, p. 439.

3) Palaestina p. 621.

4) Βηγαβάρ facile oritur e Βηθαβαρά, בית עבר, omisso ת; ac forsitan Βηγαβρί Iosephi illud Epiphanii animo fuerit obversatum.

5) Cfr. RITTERI Erdkunde XV, p. 536 ss.

6) Cfr. EUSEBII hist. eccl. VI, 38. EPIPHAN. haeres. XIX. XXX. LIII. THEODORETI haerett. fabull. l. II, c. 7. Κατὰ πασῶν αἱρέσεων (Origenis philosophumena ed. MILLER Oxonii 1851) l. IX, 4. 13. 15. 17. X, 29. — SEIDEL von der Sekte der Elcesaiten Helmst. 1749. WALCHII Historie der Ketzereyen I, p. 587 ss. FUHRMANN W. B. der Kirchengesch. I, a. v. DELITZSCH in: Zeitschrift für luth. Theol. ed. RUDELB. et GUERICKE, 1841, I, p. 42. 43. GFROERER Philo II, p. 375—401. BUNSEN Hippolytus und seine Zeit I, p. 88. 171. 176. — Io. CONR. SCHWARZII comm. de Elcesaitis et eorum erroribus (monimm. ingeniorum tom. III) in usum meum convertere non licuit.

psacorum appellatae[1], quae Traiano imperatore exorta Origenis etiam et vel Constantii tempore[2] commemoratur, auctor fuisse vir quidam Elxai, cuius nomen satis diversa a patribus scriptura exhibetur; „ab Epiphanio enim varie nominatur *Ἠλξαΐ*, *Ἠλξαῖος* et *Ἐλκεσσαῖος*, a Theodoreto *Ἐλκεσαΐ* aut *Ἐλκασαΐ*, a Methodio in convivio *Ἐλχασαῖος* vel *Ἐλκεσαῖος*“[3], ab Augustino Elci, a Ioanne Damasceno *Ἐλκής*[4], denique in (Hip-

1) Cfr. Epiph. haer. LIII.

2) Epiphanius luculentissimis verbis (haeres. XIX, edit. Petavius v. I, p. 39 ss.) „Traiani tempore Elxai pseudoprophetam ad Ossenorum s. Essenorum sectam, cuius asseclae in Nabataea, Ituraea, Moabitide, Areilitide incolebant, accessisse tradit atque opiniones eorum et amplificasse et immutavisse; horum autem dementiam ad suam usque durare memoriam, cum Constantio imperatore sorores duae ex Elxaï genere ortae divino honore efferrentur, Marthus, nuper mortua illa, et Marthana, quae etiam tum viveret.“ Quocum pugnare videtur, quod Eusebius l. l. post sexagesimum Origenis annum (cfr. VI, 36) hanc haeresin exstitisse docet (κατάρχεται), ἢ καὶ ἅμα τῷ ἄρξασθαι ἀπέσβη. At ipsa Origenis verba, quae laudat et unde suam de illis notitiam delibasse videtur, non docent tum demum eos exortos esse, sed ea tempestate (c. 247 p. Ch.) ecclesiam Palaestinensem infestavisse (Ἐλήλυθέ τις ἐπὶ τοῦ παρόντος μέγα φρονῶν ἐπὶ τοῦ δύνασθαι πρεσβεύειν γνώμης ἀθέου καὶ ἀσεβεστάτης καλουμένης Ἐλκεσαϊτῶν, νεωστὶ ἀνισταμένης ταῖς ἐκκλησίαις· ἐκείνη ἡ γνώμη οἷα λέγει κακά κτλ.). Neque vero ideo quod in libro κατὰ πασ. αἱρεσ. (quem alii Origeni tribuunt; Iacobi (Deutsche Zeitschr. 1851. Iun.) et Bunsen l. l. Hippolyto vindicaverunt), ultimo loco Elcesaitae commemorantur, cum haereses chronologico ordine ibi recenseantur, novissime tunc exortos fuisse credamus (cfr. Bunsen l. l. p. 171. 176); imo nihil inde patet, quam quod medio sec. tertio magnam denuo celebritatem fuerint nacti. Nam quae Epiphanius, cuius hac in re amplior quaedam auctoritas est, quoniam mirificum Elxaï librum, quo opiniones eius expositae erant, probe videtur novisse (cfr. Gfroerer. l. l. p. 375. 392 all.) — quae igitur de rebus Elcesaitarum et dogmatis tradidit, ea Hippolyti libro magnopere omnino comprobantur (cfr. locos supra citatos); in quo notandum maxime est, quod novam peccatorum remissionem tertio Traiani anno futuram ab Elchasai enuntiatam affirmat (cfr. Orig. philosoph. ed. Miller p. 292). Haec ad diiudicandam Eusebii sententiam de origine eorum prolatam. Nec secus alia illa verba erunt explicanda: ἢ καὶ ἅμα τῷ ἄρξασθαι ἀπέσβη, quibus adstipulavit Nicephorus hist. eccles. V, 24, cum ab Origene haeresin illam confestim exstinctam esse traderet (cfr. Seidel l l. p. 19); quae referenda videntur eo, quod turbare ecclesias desierunt nec magnopere postea innotuerunt.

3) Cfr. Cotelerii monumm. eccl. Graecae I, p. 775.

4) Cfr. Walch. l. l. p. 590.

POLYTI) libro *κατὰ πασῶν αἱρέσεων* nuper reperto illo *Ἠλχασαΐ;* quibus omnibus exarandi modis unam subiectam esse formam אלקשי, vix poterit negari [1]; et si Elcesaitae ipso Epiphanio auctore ducis nomen interpretabantur: אל כסוי, vis abscondita [2], ita nostram conformabimus sententiam, ut nomen eius proprie notasse Elcesaitam s. Elcoschitam putemus, tum vero translatam esse a sectatoribus eius ad secretam illam potestatem, quam ingenio eius contineri crederent; id quod fieri eo facilius potuit, cum Galilaei l. ק non aliter pronuntiare solerent quam כ [3]. Quare licet non certo inde probetur, veri tamen similius redditur, quod in Palaestina vicus quidam situs erat Elkosch.

3) Temere autem HITZIGIUS et KNOBELIUS [4] Hieronymi testimonium augere sibi videntur eo, quod celeberrimum oppidum Capernaum *Καπερναοῦμ* s. *Κεφαρναοῦμ*) aliqua cum nostro Nahumo contineri ratione existimant. Probe quidem nomen illud non interpretantur „oppidum solatii," uti placuit nonnullis, sed „vicus Nahumi" [5]; hoc tamen ad aliquem omnino Nahumum referendum est; nostrae quaestioni lux inde afferri nulla poterit. Nam Elcesi antiquum forte oppidi Capernaum fuisse nomen, in V. T. non commemorati, cogitari omnino nequit, cum Hieronymum tale quid fugere non debuisset; probe igitur HITZ. hanc opinionem in I^{ma} comm. edit. declaratam in altera destituit; at ne hoc quidem coniici potest, Nahumum Elcesi natum Capernai degisse; nam cum sub Manasse et Assarrhaddone esset vaticinatus, regio autem illa a. 722 a Salmanassare esset evacuata, fieri non potuit ut diu ibi commoraretur, ne dicam posteras gentes oppido inde imposuisse nomen.

4) Iam vero si cum eo, quod hucusque elaboravimus, Nahumi comparamus vaticinium, egregie utrumque videmus concinere. Omnino enim a) Israelitarum, decem tribuum dico, nullam habet rationem, inter quos vixisset, si in Assyria situm esset Elkosch; quorum certe commemorasset periculum, in quo aggredientibus Assyriorum hostibus in vicinia Nini versabantur; nam ישראל

1) Cfr. DELITZSCH l. l. p. 43. HAEVERNICK. Einl. II, b, 377.

2) Non moramur aliorum interpretandi conatus, qui sermonis neglexerunt leges; cfr. DELITZSCH. l. l. SEIDEL l. l. p. 16. 21. GUERICKE K. G. I, 143.

3) Cfr. DELITZSCH. l. l. p. 44.

4) Prophetismus der Hebräer II, p. 210.

5) Cfr. RITTERI Erdkunde XV, p. 335 ss. WINERI R. W. a. v.

II, 3 alio sensu accipiendum esse, infra probavimus p. 55; b) deinde imaginibus utitur e terra sacra petitis, cfr. I, 4, p. 18; c) denique omnis eius oratio aperte spectat Iudaeos, tum nominatim appellatos II, 1. 3, tum aliis indiciis sine dubio indigitatos, I, 9. II, 1.

II. Pergamus autem ad alterius sententiae examinandam rationem. Est vicus quidam, duobus itineribus a Mossula distans[1] (ubi sita olim Ninus erat), القوش, Alkosch s. Elkosch, in cuius vicinitate celebre quoddam monasterium reperitur Sti. Antonii[2]; ibi Nahumi prophetae ostenditur sepulcrum, Iudaeis aeque ac Christianis sacrum, et creberrime a peregrinis adorandi caussa petitum[3]. 1) Primam eius memoriam tradidit Assemani[4], quo auctore Marcus, monachus illius coenobii quidam, s. XVI med., in literis ad Busbekum datis, huius viculi et Nahumi sepulcri fecit mentionem. Sepulcrum ipsum nulla omnino permagnae antiquitatis fert vestigia[5]. — Quantopere igitur ipsa testimoniorum antiquitate haec sententia alterâ illâ superatur!

2) Accedit, quod illustrium virorum sepulcra passim in oriente innumera exhibentur, omni plerumque auctoritate carentia; atque in ipsa illa Nini regione non solum a Ionae tumulo vicus et ruinarum acervus nomen accepit Nebbi Yunus[6], verum Obadiae etiam et Iephthae[7] aliorumque monumenta et sepulcra a credulis ostentantur incolis.

3) Porro cum eas reputarent regiones, in quas decem tribus abducti ab Assyriis viderentur, alii huic sententiae patrocinati sunt, alii extiterunt adversarii. Monuerunt enim Hitzigius et Knobelius, non in illas propriae Assyriae plagas transportatos esse Israelitas, sed in Mesopotamiam, Babyloniam, Mediam, Gozan all.; contra Wichelhaus[8] in ipsa Adiabenes, quae postea

---

1) Cfr. Ritter. Erdk. IX, p. 746.
2) Cfr. ibidem p. 743.
3) Cfr. Niebuhrii Reisebeschreibung nach Arab. ct. II, p. 352. Rich. narrative II, p. 99. M. Layard. l. l. p. 125 ss. Ritter l. l. IX, p. 743 ss.
4) Biblioth. orient. I, 525. III, 1, p. 352.
5) Cfr. Layard. l. l. p. 116.
6) Cfr. Layard. l. l. p. 250. 261.
7) Cfr. Niebuhr l. l. II, p. 357. Ritter XI, p. 202.
8) Wichelhaus das Exil der zehn Stämme Israels, Zeitschrift d. deutschen morgenl. Gesellsch. V, 1851, p. 367—482.

dicebatur, regione sedes eorum distributas fuisse, comprobare conatus est, atque adeo veri etiam similius videri, ut Nahumi patria fuerit Alkosch illud apud Tigridem situm. At vero omnis haec de exsilio decem tribuum quaestio in tam lubrico atque instabili versatur loco, vix ut quidquam inde concludi atque elici posse videatur.

4) Tum vero nemo usquam traditur propheta in decem tribuum exsilio fuisse versatus; Nahumi igitur unicum et singulare esset exemplar; quod quoniam universo reprobationis statui, in quo Israelitae fuerunt constituti, vix possit adaptari, si nihilominus esset accipiendum, sat validis atque efficacibus argumentis commendaretur oportet. At si Nahumi perlustramur vaticinium, mirari statim subit, quod nullo tangitur verbo, ipsi vati non minus, quam omnibus illis, qui in illa Nini vicinitate viverent, summum instare periculum ab hostibus, qui a septentrione et oriente accedere debebant. cfr. supra ad I, 4.

5) Cui argumento non multum tribueremus, si ipsis Nahumi verbis aliter doceremur. Contendunt enim huius sententiae patroni, subtilem locorum cognitionem a vate probari, et singularem reipublicae Assyriorum et rerum gestarum morumque insuper satis accuratam peritiam. Quae cuiusmodi sint, examinemus. Laudavit TUCHIUS l. l. p. 67 campos circa urbem late patentes commemoratos II, v. 5 (בחוצות יתח'); quo tamen verbo non campos apertos, sed plateas suburbii indicari probavimus in comm. p. 62; deinde „propugnacula III, 12 et turres II, 2" haud secus ad interpretationem non probe institutam referenda sunt, uti a. hh. ll. ostendetur; aedificiorum materia III, 14 non peculiarem esse Assyriis videbimus; tum vero portis ad fluvium sitis II, 7 potentissimi regni caput munitum esse, aut audivisse ab ipsis Assyriis potuit Nahum, qui toties Palaestinam peragraverant, aut concludendo etiam valuit coniicere, cum ad Tigridem positum esse constaret. Porro quod TUCHIUS delicatos civium mores affert reprehensos II, 6. III, 13, nullius esse momenti concedet, qui diligenter hos locos excusserit. Postremo quam rerum ab Assyriis gestarum asseverat cognitionem conspici I, 11, ea vel tenuissimam cuiuscunque Iudaei memoriam vix poterant effugere; nec minus futile est, quod ex perfidia gentis III, 4 et mercatorum multitudine III, 16 reipublicae statum accuratius perspectum coniecit. — At verendum mihi videtur, ne e mirifico

consensu, quo Nahumi verba cum monumentis contineri praesertim in re militari describenda saepissime ostendimus, sententiae illius patroni longe validiora eliciant argumenta. Quod ne admisisse videremur, singulis fere locis monuimus, satis diu Assyriorum exercitus in Palaestina versatos fuisse, nec semel ante ipsas Hierosolymorum portas constitisse. — Haec igitur omnia vix ampliorem probant Assyriarum rerum cognitionem, quam quae de celeberrima et potentissima urbe inter omnes illo tempore debebat constare[1]. Ac si multa tam vivide apparent descripta atque ante oculos legentium posita, quasi ipse vates coram vidisset omnia (Ewaldus): recolamus oportet, eas referri species, quae per visionem animo eius extrinsecus hausto fuerunt oblatae.

Neque vero in hisce argumentis, quae iamiam refutavimus, acquievit Ewaldus, sed ipsum sermonem quoque habere existimavit, quae Assyriam indolem olerent. Quo in genere affert tres voculas, quae sine dubio Assyriae essent: הצב II, 8, מנזרים et טפסרים III, 17; at duas priores probe ex Hebraeo sermone notari posse infra videbimus (cfr. a. hh. ll.), et unum quod restat טפסר (cfr. ibidem) ad caussas supra expositas referendum erit; deinde singularis suffixi species מַלְאָכֵכֵה a poëtico sermone repetenda est (cfr. ad II, 14). „Tum vero assequi non valemus quid hisce sibi verbis v. dd. voluerit: „aus der Fassung der Worte II, 1 vergl. Ies. LII, 7 folgt noch bestimmter, dass er sehr weit von Jerusalem und Juda redete. Wie dagegen ein Prophet in Jerusalem etwa um dieselbe Zeit (vel potius L annis post) von Ninive reden würde, sehen wir aus der sehr verschiedenen Haltung der Worte Ssef. II, 13–15;" quae verba nec adeo diversa sunt (cfr. ad III, 19) et si quid differunt, ad temporis et scopi rationem satis diversam erit referendum. cfr. infra p. 47. — Postremo, quod tam copiose notat vatem de sola Nino facere verba, quam nemo e prophetis prioribus, vix est quod refutemus, cum in conditione populi, paullo post uberius explicanda, positum fuerit.

6) Quare cum nihil omnino esse intelligamus, quo vaticinium in Assyria editum esse comprobetur, accedit insuper, quod dudum monuit Eichhornius, §. 385: „das Band, welches ihn an die anderen Dichter und die früheren Propheten knüpft, ist viel

---

[1] Cfr. Hitzigii proll. p. 227. Haevernickii Einl. II, b. p. 376.

zu fest zusammengezogen, als es der Fall sein könnte, wenn er von ihnen ganz unabhängig, ohne sie gelesen zu haben, geschrieben hätte.“ Nam Iesaiae non primae solum partis, quae dicitur, verum posterioris etiam loci aperte interdum a Nahumo recitantur (cfr. infra §. 3); at, si a parentibus sub Tiglath Pilesare vel Salmanassare in Assyriam deportatis in vico Alkosch prope Ninum sito natus fuisset, quomodo, quaeso, Iesaiae cc. LI et LII, diu post Salmanassaris tempestatem in remota longe Iudaea conscripta illa in suum convertere usum potuisset?

Quae cum ita sint, fieri omnino non posse apparet, ut Nahumum in Assyria natum ibique vaticinatum esse existimemus, sed in Galilaea vel ubivis in sacra terra oriundum, Ephraimitico regno destructo in Iudaeam commigrasse et, quod verisimile est, Hierosolymis gravissimo reipublicae tempore vaticinium edidisse.

III. Fuerunt autem, qui utrumque ita coniungi posse existimarent, ut Alkosch ab exsulibus in memoriam patrii oppidi Elkosch conditum videretur, quemadmodum nostris temporibus persaepe in America factum est ab iis, qui hinc eo transmigraverunt; sepulcro autem postea Nahumi nomen impositum esse; cfr. BERTHOLDT Einl. p. 1649. 52, HENDERSON Minor Prophets p. 270 ss; BLACKBURN Nineveh p. 182. Quae sententia habet quidem, quo in animum sese insinuare valeat, siquidem possit probari, Israelitas in illas regiones revera fuisse transportatos; quod donec coniiciatur tantum, tutius agemus, si nomen Alkosch aliunde repetendum, et Nahumi sepulcrum propter similitudinem nominum ab aliquo Iudaeo vel Christiano postea excogitatum putemus.

Praeterea de Nahumi vita nihil certi traditum est. Si EPIPHANIO habenda fides est, e tribu Simeonitica ortus erat[1]; quae au-

---

1) Cfr. l. l.: *ἐκ φυλῆς Συμεών*. Quae verba, cum excipiant nomen *Βηγαβάϱ*, ad nostram memoriam usque plerique retulerunt ad oppidi regionem; unus e veteribus, qui EPIPHANII et DOROTHEI verba secuti sunt, ISIDORUS HISPALENSIS probe scripsit: „Nahum de tribu Simeon in Helcesi trans Betharim natus ct.“ At Simeonitarum sedes non continuis finibus circumscriptae erant, sed passim per mediam Iudaeorum portionem dissipatae iacebant, cfr. Genes. XLIX, 7; Ios. XIX, 1. BACHIENE Erdbeschr. I, 2, §. 408.

tem de miraculis eius et morte ille narravit, ea apertae videntur fabulae esse. *Οὗτος μετὰ τὸν Ἰωνᾶν τέρας ἔδωκεν ἐπὶ τῇ Νινευί, ὅτι ὑπὸ ὑδάτων γλυκέων καὶ πυρὸς ἐπιγείου ἀποτελεῖται· ὃ καὶ γέγονεν· ἡ γὰρ περιέχουσα αὐτὴν λίμνη κατέκλυσεν αὐτὴν ἐν σεισμῷ, καὶ πῦρ ἐκ τῆς ἐρήμου ἐπελθὸν πάντα ὑψηλότερα αὐτῆς ἐνέπρησεν μέρη. Ἀπέθανεν δὲ Ναοῦμ ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἐτάφη ἐν τῇ γῇ αὐτοῦ Βηγαβάρ.* cfr. HUETII demonstr. evangel. IV, §. 5. CARPZOVII Introd. p. 387. In Martyrologio Romano Bethabarae mortuus atque sepultus esse traditur, et calendae Dezembres memoriae eius consecrantur[1].

§. 3. DE AETATE NAHUMI.

Iam vero aetatem Nahumi accuratius indagandam aggredientibus ingens statim vv. dd. occurrit discrepantia. Accidit enim Nahumo, quod alii quoque prophetae passi sunt, ex. gr. Obadia, ut per omne fere tempus, ex quo sacra vatum oracula scripto mandata ad posteros pervenerunt, diversis interpretum sententiis hic illic suus ei locus assignaretur. Quid? quod fuerunt etiam, qui vetustissimum omnium prophetarum (quorum quidem vaticinia perscripta sunt) Nahumum esse censerent (cfr. MARCKII comm. in XII proph.), cum IEHU et IOACHASI regum aetate vaticinatum esse asseverarent. Eorum autem, qui cum ratione potius et deliberatione disputaverunt, agmen ducit IOSEPHUS, qui Arch. IX, 11 Iothamo rege, CL annis ante Ninum eversam, Nahumum Ionae vestigia pressisse tradidit. Deinde ab USSERIO (annal.), qui temere ad expugnationem Nini ab Arbace factam respexit, quippe de qua narraverit Diodorus, Achasi regno adscriptus est. Tum vero maxima interpretum pars eo convenerunt, quod Hiskiae aetatem maxime idoneam opinarentur, quo vatem cecinisse putarent, HIERONYMUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, CORNELIUS A LAPIDE, CALOVIUS, JAEGERUS all.; neque vero in tempore distinctius definiendo consentiunt; alii enim Salmanas-

---

1) Sequentibus diebus Habakuki et Zephaniae memoria, qui iudicii imminentis praedicatione cum Nahumo continentur (cfr. HAEVERNICK. Vorll. über Theol. des A. T. p. 160) satis ingeniose assignata est; quod quomodo a temporis ecclesiastici ratione repetendum sit, ostendit F. STRAUSS das evangelische Kirchenjahr p. 87. 89.

saris expeditione praeteracta ante Sanheribi cladem, si non totum oraculum, primum tamen caput editum esse existimarunt, HUETIUS, MARCKIUS, DRUSIUS, SAL. VON TIL, LIGHTFOOT (Chronicon); alii omne vaticinium eo retulerunt, quo illi c. II et III, nempe ad eos annos, qui Sanheribi cladem et receptum exceperunt, VITRINGA (typ. doctr. proph.), CALMET, CARPZOVIUS, BERTHOLDT, DE WETTIUS, GRAMBERG, KNOBELIUS, UMBREITIUS, KOESTERUS, HAEVERNICKIUS. — Porro luculentissimis argumentis Manassis aetatem indicari, probe ut nobis quidem persuasum est, plerique intellexerunt Iudaeorum magistri, secuti sententiam in l. Seder Olam expressam (p. 55. 105 ed. MAYER), v. c. IARCHI, ABARBANEL, GANZ (Zemach David ed. VORSTIUS); quorum partibus accesserunt L. CAPELLUS, VATABLUS, IAHNIUS, GRIMMIUS, nec non KALINSKIUS, qui definitis verbis declaravit: „quando iam in captivitatem abductus fuit Manasses.“ — Iam ut continuetur sententiarum conspectus, propius ad eventum vaticinii descenderunt EWALDUS et HITZIGIUS, cum ille Phraortis aggressum, hic oppugnationem Nini priorem a Cyaxare institutam tanquam ansam vaticinii suspiciendam esse opinaretur. Sequuntur TREMELLIUS et IUNIUS, qui Iosiae aetatem sibi delegerunt; longius etiam abiit COCCEIUS, cui Ioiakimo rege vaticinium videbatur conscriptum; et CLEMENTEM ALEXANDRINUM, qui eo excessit ut (Στρωμ. 1, 392) Zedekiae tempestatem doceret, superavit etiam BOCHARTUS, cui vel immensa, quam comparaverat, doctrina non profuit, quin (Phaleg. p. 6) Ieremiam et Ezechielem prius praedicasse quam Nahumum opinaretur, et quae illi de Aegyptiis nuntiavissent, ea a Nahumo esse confirmata (cfr. ad III, 8 ss. pag. 101).

In tanto tamque singulari vv. dd. dissensu, quippe quorum opiniones plus trecentis differant annis, mirum vix poterit videri, quod EICHHORNIUS de aetate vatis diligentius definienda desperavit; nihil enim pro certo affirmare ausus est, quam quod post Iesaiam vixerit; reliqua omnia arbitrariis opinionibus et commentis adscribenda esse. Nos vero interpretum discrepantia illa non prohibemur, quin nihilominus pro certo affirmari et demonstrari posse, quo tempore vaticinatus fuerit, existimemus. Neque vero oleum et operam eo perdemus, quod singulas deinceps interpretum sententias et argumenta examinemus, ea praesertim, quae ab interpretatione non recte, ut nobis videtur, instituta repetenda sint; sed, quae ad indigitandam vatis aetatem videantur

pertinere, ea ordine suo proponemus, aliorum autem placita gravissima, sua cuiusque oblata occasione, recensebimus. Quo facto speramus fore ut appareat, Manasse rege ab Assyriis Babylonem abducto, Nahumi vaticinium editum esse.

1) Ac primum quidem recolamus oportet, duodecim prophetarum librum ab iis, qui canonem V. Ti. ordine suo concinnaverunt, secundum temporis rationes dispositum esse [1]. Unde docemur, Nahumi aetatem post Michaeam et ante Habakukum esse definiendam, i. e. intra nonaginta fere annos, qui inter primos Hiskiae [2] et primos Iosiae [3] annos interiecti sunt.

2) Quem locum probe Nahumo assignatum esse, confirmatur iis vaticinii verbis, quibus aliorum prophetarum particulae aperte recitantur vel omnino respiciuntur, sicuti singulis deinceps locis brevi perstrinximus. Quo in genere ut omittamus singulare illud dicendi genus פני כלם קבצו פארור II, 11, a Ioële mutuatum II, 6, Ionae oraculum sine dubio referunt verba I, 3 ה' ארך אפים וגו', uti ostendimus infra p. 10. Ad Michaeae similitudinem nihil ita expressum est, ut certa inter utrumque ratio intercedere videatur; nam חשב רעה על' וגו' Mich. II, 3, Nah. I, 11 verbis tantummodo simile est, sententia longe utroque loco differt. At vero luculentissima vestigia Iesaiae librum indigitant. Apparebit enim Ies. X, 27 recitari a Nah. I, 13; XIII, 16 N. III, 10; XXIV, 1 N. II, 1; XLVII, 2. 3 N. III, 5; LI, 19 N. III, 7; postremo LII, 1. 7 N. II, 1, et LII, 8 N. II, 3. Ac si quae forte levius tantum videantur tangi, tamen, si una omnia comprehendamus cogitatione, gravissimum suppeditant argumentum. Primum enim, modo consideremus utriusque verba quonam sententiarum nexu enuntiata sint, fieri non poterit, quin Iesaiam intelligamus fontem esse, unde Nahumus illa derivaverit; unde sequitur, Nahumi vaticinium esse editum, cum omnis Iesaiae liber literis esset mandatus, i. e. post extremos Hiskiae regis annos. Tum vero, quoniam Nahumi aetas ex aliis quoque iisque sat validis constet argumentis, novum habemus documentum ad refu-

---

1) De chronologico XII prophetarum ordine cfr. Hengstb. Christol. III, p. 137 ss. Delitzsch. Zeitschr. für luth. Theol. ed. Rudelb. et Guer. 1842, I, p. 15 ss. Caspari Obadi. p. 37 ss. Haevern. Einl. II, b, p. 275. Jaeger de ordine proph. min. chronologico, Tüb. Zeitschr. 1828, II.

2) Cfr. Caspari über Micha p. 100.

3) Delitzsch Hab. p. IV ss.

tandam eorum opinionem, qui alteram Iesaiani libri partem ad exilii tempora reiecerunt. — Deinde, ne altius descendamus quam ad Ieremiae aetatem, vetamur eo, quod in eius nonnullis locis Nahumi memoria resonat; cfr. Ierem. X, 19 c. Nah. III, 19; XIII, 22-26 c. N. III, 5; XXX, 8 c. N. I, 13; L, 37 c. N. III, 13; LI, 12 et N. III, 19; LI, 30 et N. III, 13; LI, 27 c. N. III, 17.

3) Quibus argumentis cum eius loci comprobetur ratio, quo Nahumi liber in dodekapropheto habetur, et eorum reiiciantur opiniones, qui prius eum vel serius vixisse, quam quo temporis spatio supra indicavimus: addendum est, sermonis quoque indolem Iesaianam aetatem olere; v. c. שטף I, 8 et מצורה II, 2 a Iesaiae demum tempore reperiuntur usitata.

4) Alia autem indicia ipsa vaticinii verba suppeditant, ubi recte explicantur, atque adeo id, quod iam elicuimus, partim confirmant, partim distinctioribus finibus describendum suadent. Quae ut ordine temporis proponamus, primum Sanheribi non expeditio solum et, qua Iudaeos affecerit, angustia apparet praeteracta I, v. 9. 12, verum ad necem eius etiam, quemadmodum a Iesaia descripta constat XXXVII, 38 haud dubie respicitur 1, 14; neque negari potest insolentium Rabsakis verborum memoriam deprehendi II, 14. cfr. pag. 86; nec male HAEVERNICKIUS eam rationem, qua de Iudaeis dicitur I, 7: „bonus Dominus, et munimento est die angustiae“ ct., Hiskiae tempestatem indigitare contendit; nos autem non hoc ei assentimur nomine, quod praesentis conditionis inde quaeramus indicium verum omnino Domini naturam describi existimamus, cuius praeclarum illud exemplum in recenti omnium memoria haereret; cfr. p. 24.

5) Tum vero Assyriorum potentia, cum ederetur oraculum, integra erat; cfr. I, 12: „licet integri et ita multi sint“ ct., cfr. II, 12. 13. III, v. 15-17; id quod satis magni momenti est. Temere enim HAEVERN. asseveravit: „schon bald nach Sanherib kann dies nicht mehr gesagt werden. Charhaddon's Regierung bezeichnet schon die letzten Versuche und Anstrengungen, den alten Glanz wieder herzustellen;“ at ea ratio potius invertenda est: nam post ignominiosum illum Sanheribi receptum auctoritatem et potentiam regni plane fuisse fractam, paullo post ostendemus; Assarhaddon autem, filius eius, veterem imperii gloriam non solum conatus est recuperare, verum revera restituit; ergo hoc demum regnante potentia eorum integra potuit appellari.

6) Porro ad eiusdem Assarhaddonis regnum pertinet, quod Iudaeis videmus periculum ab Assyriis imminere II, 1 „celebra Iuda festa tua, exsolve vota tua“ cfr. pag. 49; quid? quod iugo eorum et dominationi subiecti sunt, cfr. I, v. 11. 13. II, 1. Haec autem conditio illi tempori, quod Sanheribi cladem subsecutum est, nullo modo adaptari potest. Nam qui Knobelii sequuntur sententiam, qui Iudaeis existimat timendum fuisse, ne Sanherib rex integris copiis collectis iterum peteret Iudaeam, ut acceptam cladem repararet, ii in idem incidunt vitium, quod modo notavimus. At vero Assarhaddon cum novos colonos in Ephraimiticam terram deduceret, qui evacuatos incolerent agros, copiae eius crebro Iudaeorum etiam fines vexaverunt, et vel regem eorum Manassem, occasione oblata, captum vinctumque Babylonem asportaverunt.

7) Iam vero non omittendum est, quod nusquam Nahum peccata populi arguit, nec atrocem defectum a Domino, quem admiserant, exprobrat, sed solam liberationem et salutem praedicat. Tale quid autem, ne forte in falsorum prophetarum numero haberetur, omittere omnino non poterat, nisi ea populi erat conditio, ut poenis peccata subsecutis satis superque videretur oppressus atque pessumdatus, atque adeo, quantum fieri posset, salutis promissae solatio a desperatione revocaretur. Quaerendum ergo aliquod tempus est, quo Iudaei, Manasse regnante, graviter afflicti summas calamitates et vel exitium atque perniciem reipublicae pertimuerint. Cuiusmodi tempestas unica reperitur illa, qua Manasse rege in captivitatem abducto ipsi verebantur, ne, quemadmodum Ephraimitico regno, ita Iudaico quoque interitus ab Assyriis propediem pararetur. cfr. §. 4.

8) Cui sententiae documentum praebent Nahumi verba I, 13 declarata „et vincula tua rumpam;“ quae ubi accurate comparantur cum Ies. X, 27, haud obscure ad regem vinctum captumque respicere videntur. cfr. p. 40.

Quae cum ita sint, totius libri ratione videmus tempus illud, quo Manasse vinctus Babylone tenebatur, non commendari solum verum flagitari. Quod insuper suadetur eo, quod nulli praeter Assyrios commemorantur hostes, nisi forte Aegyptii; non multo post enim a Chaldaeis etiam timendum erat Iudaeis.

9) Quo accedit, quod vindictae de Assyriis sumendae instrumenta nullo modo nec nominantur neque aliquo indigitantur indicio; hoc solum videtur moneri, non ab Aegyptiis[1] Ninum fore eversam. Et cum ea fere consuetudine omnes deinceps prophetae contineantur, ut quo propius absint ab eventibus vaticiniorum, eo distinctius atque expressius, sicuti omnia, ita instrumenta quoque divinae voluntatis describant, non temere concludemus, Nahumi oraculum satis diu esse enuntiatum antequam eveniret. Hanc autem rationem satis gravem plane neglexerunt EWALDUS et HITZIGIUS, qui, quantum posset fieri proxime ab eventu constiterunt; quorum sententiam ideo quoque prorsus improbandam censemus, quod humanae vatis menti atque deliberationi nimium tribuunt; id quod expressis EWALDI verbis illis comprobatur, quibus disputationem suam inchoavit: „die Weissagung muss durch den Kriegszug mächtiger Feinde gegen Ninive veranlasst sein;“ ac licet addiderit: „die Schilderungen von Eroberung und Plünderung Nineve's sind zwar, so wie sie hier entworfen werden, aus rein prophetischer Anschauung geflossen“ — tamen id, quod proprie dici debet propheticum, funditus sustulit, cum asseveraret: „allein soviel zeigt die ganze Haltung der Weissagung, dass ein drohender Kriegszug gegen Ninive bereits in voller Thätigkeit war, dass die Grenzfestungen schon fielen, ct. ct., und nur die Art, wie diese sichtbare Gefahr im Verhältniss zu den ewigen Wahrheiten aufgefasst wird, ist das eigentlich Prophetische.“ Ergo Nahumi vaticinium non videtur a visione repetendum divinitus excitata atque moderata (cfr. I, 1 ספר חזון), sed nihil est quam — carmen didacticum! —

Iam vero temporis notatio illa, quam modo indagavimus, quantopere cum universa vaticinii indole concinat, confestim apparebit, ubi rerum Iudaicarum statum atque conditionem diligentius descripserimus.

---

1) Thebarum expugnatio, III, v. 8—10 commemorata, ad indagandam Nahumi aetatem nihil pertinere potest; missa enim interpretum longe plurimorum opinione, non praeteractam aliquam afferri cladem, sed praedici futuram existimamus; id quod luculentis argumentis comprobasse nobis videmur p. 98—102.

CAPUT II.

DE RERUM JUDAICARUM ET ASSYRIARUM STATU, QUEM SPECTAT VATICINIUM.

§. 4. DE CONDITIONE IUDAEORUM.

Sacros Israelitarum prophetas constat non temere nec nulla provocatos occasione et necessitate fuisse vaticinatos, verum summis deinceps temporibus, cum respublica in periculo et discrimine versaretur, et humani ingenii atque consilii impotentia divina luce et auxilio egeret. Hoc enim munus sacris Domini vatibus iniunctum erat, ut divino spiritu instincti atque illuminati, rerum a deo gestarum explicata ratione et futurarum specie proposita, praesenti cuique populi statui ita moderarentur, ut ad amplectendam salutem, si non universa gens, electa tamen eius rudera conformarentur. Cuiusvis igitur vaticinii caussa et ratio e temporis sui conditione eruenda est.

Iam vero, priusquam civitatis divinae statum, qualis Nahumi aetate erat, tristissimum ac paene desperatum enarremus, memoria paullo altius redeamus oportet.

Ubi Israelitarum historiam inde a primo templo absoluto ad alterum usque cogitando complectimur, medio fere inter utrumque loco interiectam videmus Ussiae regis mortem (a. Ch. 758). Exactis enim laetissimis Salomonis diebus, confestim pestis illa, sub superficie diu grassata atque interdum palam deprehensa, summa cum violentia erupit: invidia decem tribuum erga Iudaeos diu cohibita potentissimam rempublicam in duas laceravit particulas, et defectus a Domino, cui Salomo primum conniverat, postea sese ipsum aperte dederat, ita auctus est, ut in regno Ephraimitico idololatria rite instituta fere ad eversionem usque semper duraret, Iudaei autem inter Domini et idolorum cultum suspensi modo hos modo illum sequerentur; et cum decem tribubus statim destinaretur interitus atque internecio, Iudaeis tem-

pus quoddam et optio facta est, num forte poenis peccata sua gravioribus deinceps subsecutis in poenitentiam acti, ad iustum clementemque Dominum suum integris animis reverterentur. Quare ad exsequendam punitionem Aegyptii primum Sisako rege ceperunt Hierosolyma; deinde ad Ussiae regis aetatem, quo magis dei praecepta neglexerunt et suis confiderunt viribus, a vicinis gentibus minoribus vexabantur. Nihilominus victoriam etiam et felicitatem largitus est Dominus, ut benignitate converterentur ad poenitentiam, atque adeo Ussiae tempore summam prosperitatem utrique regno conciliavit, subactis omnibus gentibus ab Ezeon Geber ad Thapsacum[1] — at eo magis in luxuriam et superbiam et aliarum religionum cupiditatem inciderunt, quas summa morum depravatio et atrocissima quaeque facinora sequebantur. Quare cum statutum conversionis tempus sprevissent et idolorum Canaanensium cultu inde a Ioaso rege magis magisque inquinarentur, Dominus mortifero Ussiae anno per Iesaiam prophetam diram dixit sententiam (Ies. VI), ut iam obstinatae contumaciae atque perniciei traderentur, nec amplius etiamsi audirent verbum, redire et servari ab interitu possent.

Ita factum est, ut Iudaei statim funestissimo bello a Syris et Ephraemitis illato a summo gloriae fastigio in extremam deiicerentur miseriam[2], et, cum pessimus rex Achas Assyriorum implorasset auxilium, arbitrio eorum ac paene dominationi subigerentur; atque adeo, cum plus ducentis quinquaginta annis cum minoribus tantummodo gentibus conflictandum fuisset[3], iam ab ingenti regno mundano non vexari solum, verum pessumdari et contundi coepti sunt. Nihilominus quadraginta fere annis praeteractis Dominus celeberrimo exemplo ostendit, quid etiam tum valerent Iudaei, si non a gentibus deo infestis peterent auxilium, sed suam implorarent gratiam et omnipotentiam; Assyrios enim ad summum potentiae culmen evectos ante Hierosolymorum por-

---

1) Cfr. KEIL Commentar über die Bb. der Könige, ad 2 Reg. XV, 16, p. 459.

2) Cfr. CASPARI der syrisch-ephraimitische Krieg p. 8 ss., qui copiose et egregie de huius belli ratione et pondere disputavit.

3) Praeter ceteros Syri Damasceni, qui singulari quadam ratione cum utroque regno continebantur, continui fere irritamenti simul et flagelli munere fungebantur; quorum vices iam longe gravius agendas susceperunt Assyrii. cfr. CASPARI l. l. p. 19—21.

tas adeo perculit, ut tarde demum ab horrenda clade respirarent. — At ipse etiam Hiskias prosperum fortunae flatum se ferre non posse probavit; nam cum vix mirifice esset expertus, non in hominibus sed in solo deo confidendum esse, tamen cum Babylonii amicitiam et societatem ei offerrent, blanditiis eorum pellectus, ut foedere sese dignum commonstraret, omnes iis opes et munimenta iactando ostendit. Tum vero Iesaias[1] „ecce," inquit, „venient dies, et auferuntur omnia, quae in domo tua sunt et quae congesserunt patres tui usque ad hunc diem, Babylonem; non retardabitur hoc verbum, dicit Dominus; et ex filiis tuis, qui a te exiverunt, quos gignes, sumuntur et sunt ministri in palatio regis Babyloniae!" — Haec autem vox haud ita multo post partim evenit; nam, a quibus tam splendide et gloriose erat vindicatus, ab iisdem Assyriis Manasse filius Babylonem in captivitatem abductus est.

Tertio anno posteaquam a mortifero morbo Hiskias fuit servatus[2], natus est Manasse[3]. Qui cum XII^{imo} aetatis anno ad regnum pervenisset, vel nefariis magistrorum consiliis[4], vel pravorum forsitan amicorum illecebris seductus, ipsa insuper naturae vitiositate stimulante, et connivente iuventute ad omnia malorum irritamenta parum munita[5], eo excessit perversitatis, ut numquam atrociora vitia viderint Hierosolyma. Nam destructo Domini vivi verique cultu, quem summa cum diligentia et solli-

1) Ies. XXXIX, 5. 6.

2) Quindecim anni Hiskiae post morbum erant destinati, cfr. Ies. XXXVIII, 5, Manasse autem duodecim annos natus rerum potitus est, 2 Reg. XXI, 1. 2 Paralipp. XXXIII, 1.

3) Quoniam in ll. ss. malorum regum gesta festinantius solent expediri, ad concinnandam Manassis historiam, quippe qui LV annos, diutissime omnium, regnaverit, praeter ea, quae ex ipso Nahumo patent, nihil pertinet nisi 2 Reg. XXI, v. 1—19 et 2 Paralipp. XXXIII, v. 1—21. Contra Ewaldus (Gesch. des Volkes Israel III, a, p. 364 ss.) egregiam fontium silvam huic tempori obtrudit, Deuteronomium, librum Iobi, Ies. LII, 13 — LIII, 12. LVI, 8 — LVII, 11, Ps. X, 1 — 11, XVI, XC, CXL — CXLII all., quos omnes longe aliis temporibus adscribendos ecclesiae magno consensu censemus; ac licet ad universam rerum enarrationem, satis luculenter et praeclare ab eo institutam, opinionum commenta illa non magnopere pertinuerint, tamen in singulis rebus, fictitiis fontibus illis nixus, haud pauca arbitrarie contendit.

4) Cfr. Hessii Geschichte der Könige II, p. 165 ss.

5) Cfr. Keilii l. l. p. 559.

citudine restituerat pater, gentium sese superstitionibus audacius dedit, quam quod ullus antea rex fuerat ausus; id quod eo facilius perpetravit, quo inveterata populi ad idololatriam propensio Hiskiae studio cohibita potius quam eradicata erat, et sat multi etiam vixerunt, qui XXIX annis ante Achasi superstitiones sectati, libidini diu coërcitae pronis iam animis indulgerent. Ac sicuti post emendata sacra impietas recenti cum impetu solet refragari, ita idololatria et nequitia cum violentia adhuc inaudita grassari coepit. Non enim in iis superstitionibus faciendis acquievit Manasse, quae maiores iam dudum admiserant, Syro-Phoeniciis, Ammoniticis aliarumque gentium accolentium, verum etiam siderum cultum, ab Assyriis mutuatum[1], petulantius Achaso instituit

1) Probe notaverunt MOVERSIUS (Phoenizier I, p. 56 ss. 164 ss.) et KEILIUS (comm. in ll. regg. p. 559 ss.) universum coelorum exercitum ea demum tempestate, quam Assyriam vocamus, religiosius ab Israelitis coli coeptum fuisse; idque ad Assyriorum commercium esse referendum, inde apparet, quod Assyrii non solem tantum et lunam, verum coelestia omnino corpora adorabant, uti traditum a veteribus est et monumentis praeclare comprobatur; unde etiam apparet temere iudicasse MOVERSIUM, Assyriorum religionem fuisse non idololatriam sed purum siderum cultum, nullis humanae similitudinis imaginibus admissis (I, p. 68); permultae enim deorum imagines in marmoribus inveniuntur expressae; verum, ad quaenam numina singulae deinceps referendae sint, non prius statui certo potest, quam scriptio cuneata satis sit enucleata. Quae adhuc in hoc genere conscripta sunt, ea coniiciendo fere indagata sunt, atque multiplici discrepantia etiam incertiora redduntur. (cfr. LAYARD Niniveh u. s. Ueberreste p. 410 ss.; (BONOMI) The buried city of the East p. 189 ss.; GOSSE Assyria p. 65 ss.; GROTEFEND, Anlage u. Zerstörung d. Gebäude zu Nimrud p. 27 ss.; quo adde RAWLINSONIUM qui varia nuper deorum nomina, quae occurrant in inscriptionibus, proposuit in: Outlines of Assyrian history p. XVIII ss.) — At vero licet totius mythologiae huius ratio satis adhuc obscura sit, tamen, quae ad illustrandos ll. ss. pertineant, accurato monumentorum examine et comparatione videntur investigari posse. Ac primum quidem summum numen, „rex omnium deorum magnorum“ (RAWLINSON Commentary on cuneif. insc. p. 31), Baal s. Assar, Assur, Assarak (ibid. p. 26. Outlines p. XVIII) duabus imaginibus exprimitur; altera circulum exhibet tribus alis ornatum, in quo humanae plerumque figurae pars superior conspicitur (cfr. LAYARD. l. l. fig. 79, a. b. c; eiusdem Monuments of Nineveh tab. 6. 25. 34. 39. 41. 53 all. BONOMI l. l. p. 253); in Assyriis tabulis non invenitur nisi volitans super arbore sacra, infra commemoranda, vel super rege, quem aut comitatur fere in proeliis, et quocum omnes gestus et manipulationes communes agit, aut a quo supplice adoratur. Eadem imago diversa paullo ratione delineata apud Aegyptios notissimum est solis simu-

tuit; in utroque templi atrio (pontificum et populi) eiectis Domini altaribus, Baali, Astarti, et universo coelorum exercitui foedas erexit aras; et, quod nemo antea fuerat ausus, in ipsa aede Domini tetrum Astartis simulacrum constituit. Porro, quod

---

lacrum, nec non apud Persas invenitur (cfr. Lay. l. l. p. 416. Vaux Nineveh and Persepolis p. 398). Gravior autem altera est summi numinis imago, quae ostendit virum, sicuti omnes dii, permagnis alis praeditum, qui altera manu fructum palmae tenet, altera vas s. panistrum (de quibus hic non est disputandi locus); insignis autem est capite aquilino (cfr. Lay. fig. 1. Bonomi p. 256 all.). Atque haec quidem figura vix dubitandum est quin referat numen illud, in cuius aede Sanherib traditur interfectus esse, נִסְרֹךְ, Ies. XXXVII, 38. 2 Reg. XIX, 37. (cfr. Rawlins. Commentary p. 26 ss. Bon. l. l. p. 197 ss. Grotef. l. l. p. 10. 33). Summa eius dignitas atque eximius etiam locus praeter cetera numina esse videtur (cfr. Grotef. p. 33), et in palatio Nimrudensi quod caurum spectat, sacrarium eius repertum est, de quo diximus infra ad I, 14 pag. 41. 42. Nomen נסרךְ paullulum quidem differt ab Assaraco; at e diversis rationibus quibus LXX reddiderunt, *Νασαράχ*, *Μεσεράχ*, *Ἐσθράχ*, *Ἀσαράχ*, posterior propius abest. Neque vero eorum sequimur opinionem, qui nomen retulerint ad v. נשר, نسر aquila, cum *αχ* s. *ωχ* haud raro Assyriis et Babyloniis adiiciatur nominibus (cfr. אריוךְ; Grotef. p. 40); nam Assaraci nomen aperte prodiit ex Assar s. Assur, Rawlins. Comm. p. 27; facilius accipi potest, ut Israelitae propter caput aquilinum similem vocis sonitum cum v. נשר coniunxisse videantur.

Tum vero haud raro in monumentis singularis quaedam **arboris sacrae** conspicitur species (cfr. Lay. fig. 33), summae deae simulacrum, **Astartes**, quae Assyriis audiebat Yastara, cfr. Rawlins. Outlines ct. p. XX; vix enim aliter quam coniuncta cum Baalis symbolo illo, primum descripto, vel ab aliis diis honore affecta reperitur. (cfr. Lay. fig. 31, a; p. 410. 426. Bon. p. 159. 262 all. Gosse Ass. p. 94 ss. Grotef. p. 37). Satis autem diversae eius formae inveniuntur. Saepissime occurrit truncus compluribus nodis distinctus, qui surgere e solo videtur, atque in septena folia excrescit, vittis velisque circumdatus, adeo tamen exornatus, vix ut a columna ad arboris similitudinem artificiose conformata distingui possit. Alias deinde superior tantum eius pars reperitur (cfr. Gosse, p. 125); porro conspicitur truncus tribus fere nodis variatus, septenis foliis ornatus, et plus viginti fructibus (palmarum dactylis, ut videtur) insignis (cfr. Lay. Monuments of Nin. tab. 6); in cylindris deinde simplicior etiam species cum trinis foliis fructibusque delineata est (cfr. Hoefer Chaldée ct. tab. 19, fig. 2; 21, fig. 4); postremo etiam simplex arboris figura, nullo artificio praeter nodos variata, multis fructibus et foliis praedita, in panistro dei cuiusdam expressa est (cfr. Gosse Ass. p. 104). Quae cum ita sint, amplissima lux accedit ad difficillimam quaestionem, quae est de simulacro Astartes, אשרה, quod saepissime in ll. ss. commemoratur,

cum his religionibus coniunctum esse solet, divinationum et praestigiarum quaevis genera instauravit, et filios suos in Molochi honorem per flammas transire fecit in valle Ben Hinnom; eaque omnia tanta cum insania perpetravit, ut abominandos gentium

---

cuius exemplar Manasse etiam in aede Domini constituit. In enucleanda vexatissimae vocis notione, quam versiones vett. et interpretes modo reddiderunt Astarte, modo columna vel idolo eius, modo arbore vel luco (cfr. GESEN. thes. a. v.), nostra memoria maxime elaboraverunt MOVERS (Phoenicier I, p. 560 ss.), qui imaginem esse Astartes ab eaque distinguendam demonstravit, et KEILIUS (Comm. über die Bücher der Könige p. 222 ss.), cum ostenderet, quomodo inter se differant אֲשֵׁרָה, אֲשֵׁרִים, אֲשֵׁרוֹת, עַשְׁתָּרוֹת, עַשְׁתֹּרֶת; at vero illum temere contendisse existimamus, columnam esse intelligendam sive arboris truncum, abscissis ramis et corona, hunc autem haud probe negasse, significari etiam arbores interdum ab hominibus plantatas s. lucum. Ut enim brevi proponamus, quid ex accurata exemplorum collatione apparere videatur, אשרה notat 1) arborem artificiose conformatam, Astartes imaginem, cfr. 2 Reg. XXI, 3, cfr. v. 7 את־פסל האשרה; 2) tum vero ad ipsum numen transfertur, cfr. Iud. II, 3. III, 7. 1 Reg. XVIII, 19; 3) postremo arbores etiam vel lucum significat Deut. XVI, 21: „non plantabis tibi אשרה כל־עץ, lucum omnium arborum pone altare Domini dei tui, quod tibi fecisti;" quae verba ubi cum sequente tantum versu comparamus: „neve erigas tibi מצבה," et reputamus נטע Dan. XI, 45. Ies. LI, 16 dici per similitudinem de tentorio in terram figendo, cfr. Coh. XII, 11, opinemur forsitan, Deuteronomii verba non certum suppeditare argumentum (cfr. CASPARI üb. Micha p. 266); at vero longe usitatissima v. נטע potestas est plantandi; et si recolamus illud dicendi genus תחת כל־עץ רענן, Deut. XII, 2. 1 Reg. XIV, 23 (cfr. KEIL. a. h. l.), quod crebro coniunctum est cum אשרה, vix negabimus, luci interpretationem in hoc exemplo ratam videri. Iam vero, si eiusmodi v. אשרה est usus, egregie comprobatur iis sacrae arboris speciebus, quas in Assyriorum monumentis reperiri modo notavimus. — Addimus מַצֵּבוֹת, columnas in honorem Baali constitutas, de quibus cfr. KEIL. l. l. p. 220 ss., apparere expressas in cylindro quodam Babylonico, cfr. HOEFER Chaldée tab. 20, 3, ubi binas conspicimus columellas, quibus discus simulacrum solis, haud raro obvium illud, impositum est.

Deinde praeter Baalis et Astartis idololatriam, universo coelorum exercitui Manasse sacra fecisse traditur, 1 Reg. XXI, 3. 5. 2 Paralipp. XXXIII, 3. 5, ab Assyriis, ut verisimile esse supra diximus, mutuata. Assyrios enim sidera omnino coluisse, nec solem tantum et lunam, cum aliunde notum sit, tum inde patet, quod sat multae stellae pro numinibus habebantur (cfr. RAWLINS. Outlines p. XX ss.); deinde rarius Baalis et Astartes, persaepe autem solis, lunae, quinque septemve stellarum et totius coeli imagines vel divino affectae honore, vel symbolica ratione vel

ritus non solum esse imitatus, verum longe superasse dicendus sit[1]. — Neque vero Dominus non prophetarum vocibus eum admonuit et castigavit; quos tantum abfuit, ut audiret, ut vel persequeretur et cum permultis, qui apud fidem et obedientiam legis divinae permanerent, insania abreptus trucidaret[2]; ita ut sacra urbs innocenti sanguine profuso tota pollueretur.

Quae tanta tamque atrocia facinora cum rex ipse praeiret, fieri non potuit, quin populus vestigia eius sedulo premerent et sua quisque scelera et flagitia adderent; et cum satis diu[3] praecipites ita in voraginem abirent, supplicii sententia iamiam enuntianda nec amplius differenda erat. Dominus igitur, cum „Davidi et Salomoni affirmasset“[4], nomen suum in sua domo habitaturum esse in secula seculorum, nec pedem Israelis e terra cessurum, modo praecepta legis omnia facerent — iam, quoniam omnem omnino legem foede et pertinaciter violarant, per vates, ministros suos, praedicavit: propter horrenda facinora Manassis et omnia simul, quibus Israelitae, ex quo educti essent ex Aegypto, suum accendissent iram, se Hierosolyma, haud secus

etiam ornatus caussa adhibitae conspiciuntur, uti passim probant monumenta; cfr. infra p. 42; Lay. fig. 18. 78 all. pag. 411. — Ceterum Salmanassaris et Sanheribi tempore ignis quoque cultus interdum deprehenditur in tabulis monumentorum; cfr. Lay. p. 425. 411.

Deinde Manassem divinationum et praestigiarum permulta genera instituisse legimus; quae superstitiones cum Asiaticis religionibus arctissime coniunctae erant. Nec defuerunt apud Assyrios. In palatiis Khorsabadicis et Nimrudensibus integra conclavia eiusmodi caerimoniis patrandis destinata erant, cfr. Bon. Nineveh and its Palaces p. 164, 204, 262, 266, 269 all., in quorum tabulis regem conspicimus e poculi et sagittarum ratione futura praesagientem, cfr. Exod. XXV, 18. Ezech. XXI, 21. 22. Reperti sunt quoque Teraphim, in tabulatis conclavium conditi, cfr. Bon. p. 156. 158. 203. 204.

1) Cfr. 2 Reg. XXI, 2. 9. 11. 2 Paralipp. XXXIII, 2. 9.

2) Cfr. Iosephi Arch. X, 4 .... *πάντας τοὺς δικαίους τοὺς ἐν τοῖς Ἑβραίοις ἀπέκτανεν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν προφητῶν ἔσχε φειδώ· καὶ τούτων δέ τινας καθ' ἡμέραν ἀπέσφαξεν, ὡς αἵματι ῥεῖσθαι τὰ Ἱεροσόλυμα.* cfr. Hengstb. Christol. I, b, p. 2. — Iesaiam hoc tempore diro supplicio a Manasse affectum esse, in fabulis est; cfr. Gesen. Ies. I, p. 9 ss. Bleek ad Hebr. XI, 37. Haevern. Einleitung II, b, p. 59 ss. cfr. Hengstb. ibid.

3) XII annorum puer Manasse ad regnum pervenit; legimus autem filios eius Molocho sacratos esse; quo accedit, quod XXII[do] regiminis anno Babylonem asportatus est, ut infra videbimus.

4) Cfr. 2 Reg. XXI, 7. 8. 2 Paralipp. XXXIII, 7. 8.

ac Samariam, funditus esse eversurum, ipsos autem manibus hostium traditurum ad praedam atque direptionem.“ — At obstinatus populus cum rege insano „audiverunt nec perceperunt, viderunt neque intellexerunt“ [1] — atque adeo haud ita multo post altera vaticinii pars scelesti principis fato evenit.

Eodem fere tempore Assarhaddonis Assyriae regis iussu in desertas regni olim Ephraimitici regiones novi coloni e quinque gentibus [2] deducti sunt; copiae autem, quae comitando eos custodiverunt, fines vicinos crebro vexasse videntur, et praedandi caussa, vetere insuper invidia incitatae, Iudaeam quoque infestavisse. Ab eorum turmis ferocibus ut Hierosolymorum saltem confinia defenderet, obviam profectus esse Manasse putandus est, nec prospero Marte gavisus; vel etiam structis forte insidiis per occasionem subito esse oppressus; nam in dumetis delitescens [3] turpiter captus est, et, duabus catenis constrictus [4], Babylonem asportatus [5], quae tunc Assyriis subiecta erat; id quod anno fere 676

1) Cfr. Ies. VI, 9.

2) Cfr. 2 Reg. XVII, 25: ex Babyloniis, Cuthaeis, Avaeis, Hemathitis, Sepharvaeis.

3) Cfr. 2 Paralipp. XXXIII, 11: וילכדו את־ מנשה בחוחים „et ceperunt Manassem in dumetis;“ חוח enim spinam significat, cfr. Cant. II, 2. Prov. XXVI, 9 all.; semel notat hamum, quo pisces captantur, translatum a spina, quae imo hamo adhaeret, Iob. XL, 26, ubi alii anulum intelligunt, per maxillas piscium transmissum; utramque potestatem hic quoque valere existimant; hanc tuetur Maurerus; illam fuerunt qui translato sensu acciperent: „ceperunt Man. per insidias, quas illi struxerant,“ cum aliis proprius sensus placeret (Gesen. thes.), quia „simili instrumento utebantur in captivis vinciendis;“ porro LXX exhibent: ἐν δεσμοῖς, Vulg. Lutherus: catenis; at vero לכד nihil potest notare quam capere, captivum facere; neque omnino est, quod ab usitatissima v. חוח potestate spinarum, dumeti, ad singularem illam confugiamus, quae apud Iobum semel legitur.

4) Haec conditio, quam etiam Zedekia passus est, ad vivum expressa apparet in tabula quadam Khorsabadica (cfr. Botta Monument de Ninive tab. 120), ubi Palaestinae incola, ut videtur, manibus et pedibus duabus catenis constrictus ab eunucho προσαγωγεῖ ad Salmanassarem inducitur, cfr. Bon. l. l. p. 166. 167.

5) Abductio et conversio regis quoniam in libb. Regum omittitur nec nisi in libb. Paralipp. narratur, ab adversariis authentiae horum librorum maxime vexata est, e quibus nominandi sunt Grambergius, Rosenmuellerus, Winerus R. W.; Moversius conversionem eius fictitiam esse contendit, asportationem defendit; at vero argumenta eorum a Keilio (apologet.

a Chr. videtur accidisse[1]. — Sic Manasse ab iisdem Assyriis captus est, a quibus Hiskias pater tam splendide liberatus erat; iisdem enim peccatis contumaciter sese dederat, a quibus ille, quantum valeret, regnum lustravit.

Necopinata hac calamitate Iudaei a summo insaniae atque insolentiae fastigio in extremam moestitiam atque anxietatem deiecti sunt; non quod ablato rege inopes fuissent consilii, quis iam rebus publicis moderaretur, nec quod dilectissimi forte principis vincula essent commiserati — flagitiorum enim magistro potius gavisi erant quam regem suum cum pietate et caritate prosecuti, sed quia fieri non potuit, quin timerent, ne rege capto universa gens serius ocius ab Assyriis, Sanheribi forte cladem

---

Versuch über die Chronik p. 425—31) et HAEVERN. (Einl. II, a, p. 221—225) tam luculenter refutata sunt, ut vel EWALD. asseveraret, Gesch. des V. Thr. III, a, p. 377: „das Ereigniss kann seinem reinen Grunde (?) nach gar nicht bezweifelt werden," licet notaverit: „Wer nun die ganze Art des Chronikers kennt, wird hierin nur die eigenthümliche strafgehaltene halbdichterische Darstellungsweise finden, in welcher dieser Erzähler auch sonst so oft was er in seinem Quellenbuche ausführlicher beschrieben fand, in ein paar gewürzige Worte zusammendrängt!!" — Unde repetendum sit, quod libb. Regum nihil de hoc casu habeant, postea videbimus; nobis autem summum quoddam documentum ex ipso Nahumi libro redundat; uti enim supra p. XVIII iamiam indigitavimus, universa vaticinii ratio et praesertim, quod nusquam peccata populi arguuntur, tempestatem aliquam designat, qua Iudaei gravi quodam casu adeo deiecti erant ac paene desperati, ut, cum res ipsa satis superque loqueretur, non severitas legis, sed gratiae dulcedo hominum animis fortiter esset proponenda. Et quoniam Nahumum non posse nisi post Hiskiae et ante Iosiae tempus fuisse vaticinatum vidimus, eiusmodi calamitatem regnante Manasse accidisse oportet.

1) Quando Manasse ab Assyriis deportatus fuerit, nusquam certo docetur; potest tamen ex ipsis ll. ss. probe definiri. Nam Assyriorum copiae in Palaestinam descendisse aliae non possunt cogitari, quam quae colonos illos deduxerunt et X tribuum reliquias secum asportaverunt; id quod secundum Ies. VII, 4 factum est LXV annis post primum Achasi annum, 742; unde deducimur ad XXII^um^ Manassis annum, s. 676. Assentiunt huic calculo Iudaeorum chronologi in libro Seder Olam, tum vero USSERIUS, DE VIGNOLIUS, KEILIUS, HENGSTENBERGIUS (Christol. I, b, 56, Beitr. I, 177), DRECHSLERUS Ies. I, p. 280, all. Qui de VII^mo^ Manassis anno cogitarunt, iis recte dudum respondit I. H. MICHAELIS (annot. uberr. ad 2 Paral. XXXIII, 11), „complures annos designandis tot facinoribus transiisse, praesertim cum etiam liberos suos idolis immolasse dicatur;" ut taceamus, Assyrios eo tempore non tetigisse Palaestinam.

et ignominiam ulturis, in exsilium transportarentur, atque adeo, quod modo passi erant Israelitae, idem ipsis propediem accideret. Atque ea formido sine dubio exaugebatur, si quis forte vatum verba, obiter antea audita, recordaretur, qui ipsas illas Samariae calamitates Iudaeis quoque instare nuntiaverant. At vero exigua piorum Domini servorum reliquia aliter erat instituta: priores enim prophetae summo inter se consensu docuerant, internecionem Iudaeis non ab Assyriis, verum a Babyloniis iri paratum. Nihilominus iis quoque, qui hoc religiose meminerant, gravis erat et acerba maxime regis asportatio: summae enim futurae salutis promissiones, quae populo datae erant, ad regiam Davidis sobolem haerebant adstrictae; rex igitur, ut Ieremiae verbis utar, verae Israelis spiritus vitalis erat[1]; neque vero ignorabant, in rege Babylonem abducto totius populi eodem aliquando abiiciendi pignus latere et quodammodo praesagium[2]. Cunctis igitur summo moerore et formidine sollicitis, cum nullis sociis respublica adiuvaretur, imo inimicis undique et hostibus circumdata esset, cavendum magnopere erat, ne desperatione correpti in atrociorem etiam contumaciam et pertinaciam praecipites abirent; et, cum totius populi evertendi tempus praestitutum nondum venisset, electae autem piorum reliquiae in fide et obedientia conservandae essent: fortiter erant monendi, ne ab Assyriis nunc sibi instare perniciem timerent, sed leviter castigati bono animo recepto ab idololatriae insania resipiscerent. Atque hoc quidem consolandi munus Nahumo iniunctum est, qui Iudaeis suum ipsorum interitum timentibus Assyriorum potius internecionem propediem eventuram divino spiritu instinctus proposuit.

---

1) Cfr. Threni IV, 20; Mich. IV, 9, coll. HENGSTB. Christol. III, et CASPARIO a. h. l.

2) Quae cum ita sint, temere iudicasse apparet HAEVERN. Einl. II, b, p. 374, cum asseveraret: „Das Ereigniss 2 Chron. XXXIII, 11 kann schon seiner äusseren Bedeutung nach, als ein bald und ohne grosse Folgen vorübergehendes gar nicht in Betracht kommen.“ Quae autem subiunxit: „noch weniger aber, wenn man seine innere Bedeutung in's Auge fasst. Damals war es eine gerechte Strafe des Herrn, dazu bestimmt, um das abtrünnige Volk und dessen König zur Besinnung zu rufen und dasselbe zugleich einen Vorschmack seines nahe bevorstehenden Schicksales empfinden zu lassen“ — ea quantopere nostram sententiam confirment, satis superque indigitasse nobis videmur, praesertim ubi Iesaiae comparamus similitudinem, qui, annuntiato exsilio Babylonico c. XXXIX, confestim pergit c. XL: נחמו נחמו את־ עמי!

Quae cum fierent domi, Manasse rex Babylone acerba vinculorum miseria et turpitudine ad poenitentiam actus est, et praeclarum Hiskiae patris exemplum secutus, humilibus precibus[1] ad Dominum deum patrum suorum missis, mox clementiam eius et misericordiam expertus est; haud enim ita multo post[2] vinculis liberatus domum dimissus est; quod quibusnam ex caussis Assyrii ei concesserint, assequi non valemus[3].

---

1) Preces eius scripto mandatas et in fastis regum Iudaeorum atque in rebus Chosai vatis exaratas Paralipomenorum auctor ipse vidit. Satis praeclaram orationem Manassi adscriptam inter Apocryphos V. Ti. libros circumferri constat, de cuius origine et aetate nuperrime disputavit Fritzschius (Exeget. Handb. zu den Apocr. 1851, fasc. I).

4) Quod non diu Manasse fuerit exsul, probe coniicitur inde, quod LV annos regnasse traditur 2 Reg. XXI, 1. 2 Paralip. XXXIII, 1, nulla interrupti regni habita ratione.

3) Fuerunt a) qui foedere pacto libertatem ei ab Assarhaddone concessam opinarentur (Prideaux all.); at vero si de pretio vel tributo cogitatur, nescio an tale quid secundum priorum regum similitudinem (Menachemi, Achasi, Hiskiae) fuerit commemoratum; ea autem ratiocinatio, qua nuperrime C. A. Menzel (Staats- und Religionsgesch. der Königr. Isr. u. Iuda p. 304) rem componere sibi visus est, cum sic fere diceret: „Diese Erzählung scheint auf einen Wechsel der Partheien hinzudeuten, und derselbe dadurch eingetreten zu sein, dass die herrschende Parthei sich ihrer Abhängigkeit von Assyrien zu entledigen suchte, was den assyrischen Monarchen bestimmte, den König nach Babylon zu berufen und ihn dort ins Gefängniss zu legen, aus welchem er jedoch gegen die Zusage, seine bisherigen Rathgeber zu entfernen, entlassen wurde" — ea quantopere idoneam rerum rationem confundat, facile perspicitur. b) Keilius apolog. Versuch über die Chronik p. 431) Assyriorum rempublicam forte turbatam fuisse coniecit; at futilis est Kalinsk. et Rosenmuell. opinio, qui Medorum seditionem arguerunt, cum Sardanapalum eundem esse ac Assarhaddonem perperam hallucinarent; neque vero de alio tumulto quodam quicquam habemus compertum. c) Porro mors Assarhaddonis serius accidit (a. 668), quam quae Manassis liberandi caussa fuisse possit, cfr. not. 2; quod nisi contrarium esset, maxime probaretur Hofmanni et Haevern. sententia (cfr. Einl. II, a, p. 223 ss.), qui post mortem eius Babyloniorum regulum libenter libertatem Manassi largitum esse existimarunt, societatis et foederis contra Assyrios iungendi caussa, sicuti Ies. XXXIX Merodach Baladan. d) Nec inde multum coniici potest, quod rex Hierosolyma reversus moenia urbis refecit et castella Iudaica omnia munivit; cuius rei caussam attulit Hessius l. l. p. 205, ut non ab Assyriis verum ab Aegyptiis terram defenderet, probantibus Assyriis; cum Prideaux vel Assyriorum iussum et praeceptum coniiceret; contra Ewaldus cum Aegyptiis foedus ab eo coniunctum esse docet, l. l. p. 379. Utcunque est, ab Assyriorum iugo

Manasse in patriam redux et serio ad deum conversus, pristina vitae ratione commutata, ea quae antea peccaverat, corrigere atque restituere studuit. Idolorum igitur altaria et simulacra removit, et superstitiones illas, quantum potuit, e civium animis evellere conatus est; at vero malum adeo inveteratum vix iam exstirpari potuit, et facilius ad omnia illa facinora antea seducti erant, quam ab insita idololatriae cupiditate revocabantur. Legimus enim deorum aras a Manasse tantum remotas esse, a Iosia autem contusas atque disiectas[1], posteaquam ab Ammone rursum fuerunt instauratae; nec desiverunt in excelsis locis immolare, licet Domino deo suo sacra facere sibi viderentur. Ergo conversio seria et sincera solius fere regis erat, populus externam tantam pietatis speciem vix ac ne vix quidem admiserunt, et mortuo Manasse, cum LV annos regnasset, impii filii Ammonis exemplum secuti pronis animis in pristina sacrilegia reciderunt.

Huc referendum est, quod in libris regum de calamitate Manassis et conversione nihil omnino legitur, quippe quae ad ipsam regis personam potius, quam ad universam gentis mentem pertinuerit[2]. Quare, cum postea de exsilii Babylonici caussis quaereretur, cum omnia omnino peccata per tot secula ab Israelitis commissa, tum vero horrenda Manassis facinora a prophetis exprobrabantur[3]; atque adeo septuaginta annos illos, quibus inde a primo Manassis ad tertium decimum Iosiae annum gravissima perpetrarant peccata, septuaginta annorum servitus et exsilium Babylonicum subsecutum est[4].

§. 5. DE REBUS ASSYRIORUM.

Explicato Iudaeorum statu, a quo vaticinii edendi ansa repetenda est, dicendum etiam est de rebus Assyriorum, ad quas vatis oratio non minus pertinet. Est enim tenendum quidem,

---

et arbitrio iam videtur vacasse, atque adeo contra utriusque regni impetus sese tutum reddidisse, ne simili eoque graviore casu iterum vexaretur.

1) Cfr. 2 Paralip. XXXIII, 15; 2 Reg. XXIII, 12.

2) Cfr. HAEVERN. Einl. II, a, p. 223. EWALD l. l. p. 378.

3) Cfr. Ierem. II, 30. XV, 4. 2 Reg. XXIII, 6. XXIV, 3.

4) Ingeniose hanc vicissitudinem exposuit CASPARI über den syr. ephr. Krieg p. 24.

prophetas ad Israelem missos esse, atque in eius salute comparanda officium eorum totum versari, atque adeo de vaticiniis adversus peregrinas gentes prolatas probe statuisse Kimchium, cum diceret: „quaecunque contra gentes proferunt, ea propter Iudam dicunt." Primo enim loco, cum iis fere gentibus, a quibus graviter propter peccata sua vexabantur, summae calamitates atque interitus praedicerentur, solatium inde et salutis certitudo Israelitis percipienda proponebatur, nec non misericordia dei et omnipotentia, cui soli confiderent neque ab hominibus peterent auxilium; tum vero gravis etiam exhibebatur commonitio, ut secum reputarent, cum tanta supplicia eorum ingererentur capitibus, qui offenderunt Dominum vix aliqua sibi cognitum notitia, quidnam ipsis quos sacro sibi peculio elegerat deus, et quibus nomen suum splendidissime deinceps cognoscendum atque percipiendum praebuerat, quid sibi videretur expectandum, cum gentium peccatis et superstitionibus imperatam a deo sanctitatem foede inquinassent![1] — At vero eiusmodi vaticinia latius patere videntur; nec permulta oracula illa, quae integras easque maximas interdum librorum propheticorum conficiunt partes, gentibus tanquam meris exemplis atque instrumentis utuntur, quibus Iudaei educarentur explicatis; verum ipsas quoque mirifica verbi divini vis et efficacitas petit atque percellit. Intercedit enim mutua quaedam vicissitudo inter electum dei populum et reliquas gentes omnes; generis humani caussa Israel electa est, gentes autem in educanda Israele pro suo modulo cooperant; ideo sedes earum secundum praestitutam Israelis rationem a deo distributae sunt, Deut. XXXII, 8. Act. XVII, 26. 27, et res earum fataque universa certa quadam cum sacro foederis populo continentur necessitate atque secundum eum gubernantur modulum, quo erga Israelem sese gesserint et statuta sibi munera exsecuti fuerint. cfr. Sach. I, 15. Ergo ea quoque vaticiniorum de peregrinis gentibus editorum dignitas est, quod pro testimoniis habenda sunt atque sententiis edictis ab eo, qui Abrahamo olim et semini eius promisit: „benedicam iis, qui tibi benedixerint, et qui tibi maledixerint, iis maledicam" Gen. XII, 3, declaratis in medio illo orbis terrarum loco, quo universae generis humani res undique omnes coguntur, postremo enuntiatis ab eius populi ducibus, ad

1) Cfr. Hengstb. Christol. III, p. 199.

cuius necessitatem omnium fata exiguntur. Quae vaticinia utrum gentibus innotuerint, nec ne, non multum refert; nec Ionae exemplis atque Ieremiae [1] magnopere insistendum est, quae ab aliis insuper caussis suspendenda sunt. Ergo duplex nostri quoque vaticinii scopus est, quorum alter in Israele, alter in Assyriis positus est; verum, licet horum nomen libro inscriptum sit, et Israelitarum salus interitu eorum comparanda paucis tantum verbis aperte declaretur, tamen Israelis respectus primo atque summo loco habendus est. — Iam vero quoniam Assyriorum flagitia non singula quaedam et certo quodam tempore erga sacram gentem perpetrata exprobrantur et destinatum pro iis supplicium declaratur, verum omnia omnino facinora uno quasi conspectu comprehensa proponuntur et diiudicantur, universa Assyriorum historia breviter videtur perstringenda esse, atque ad eam potissimum rationem revocanda, qua cum Israelitis continebantur.

Prius vero quam res ipsas exponamus, paucis absolvenda est ea quaestio, quae est de fontibus, unde rerum Assyriarum notitiam hauriamus, praesertim cum paucis abhinc annis domestica potentissimae gentis monumenta reperiri coepta sint, quorum summa semper in concinnanda cuiusque populi historia dignitas est atque auctoritas. Nam cum plus MM annis Ninus, splendidissimi olim regni caput, vastis condita sepulcris latuisset, nostra memoria Anglorum et Francogallorum opera et industria factum est, ut inde ab anno 1843 e pulvere et sabulis surgeret [2] atque

---

1) Qui propheta gentibus constitutus declaratur I, 5. 10.

2) Cfr. RICH. Narrative of a Residence in Koordistan, Lond. 1836, 2 voll. AINSWORTH Travels and Researches in Asia Minor, Mesopotamia ct. 1842. 2 voll. BOTTA et FLANDIN Monument de Ninive, Parisiis 1847—50. 5 voll. fol. A. H. LAYARD Monuments of Niniveh, Londini 1849, fol. Eiusdem Nineveh and its remains, 2 voll. 8., tertio edita Lond. 1850, nostro sermone reddita a MEISSNERO „Niniveh und seine Ueberreste, Leipz. 1850. Primam operis huius partem LAYARDUS succinctam magis et communi legentium usui destinatam edidit 1851, 12: „A popular account of discoveries at Nineveh" ct., ab eod. MEISSNERO germanice translatam. (FLETCHER Notes from Nineveh and Travels in Mesopotamia, Assyria ct. Lond. 1850. 2 voll.) — Ex his quasi fontibus rerum alii iique minoris ambitus libri derivati sunt, quibus quae e ll. ss. veterumque scriptis et e monumentis de Assyria antiquitate cognoscuntur, brevius uberiusve explicantur; inter quos primo loco appellamus: IOS. BONOMI, Niniveh and its Palaces, Lond. 1852, 8, qui antea edidit: The buried city of the East, Nineveh, ibid. 1851. 8. Tum vero VAUX Nineveh and Persepolis, tertio

imaginum et inscriptionum, in palatiorum muris expressarum, praeclaram silvam suppeditaret.

Iam vero quaerendum est, num probe intelligantur, quae cuneatis titulis in monumentorum tabulis expressa reperiuntur, et qua ratione ad enucleandum sensum perventum sit[1], ut inde statuatur, quaenam iis in explicanda Assyriorum historia tribuenda sit auctoritas. — Inveniuntur aliquot locis per vastos regni olim Persici fines inscriptiones tribus linguis exaratae, Persica, Medica et Assyria; signis cuneatis omnes constant, neque nisi cuneorum inter se compositione et collocatione differunt; quorum amplissima in monte Behistunensi (βαγίσταvον ὄρος)[2] incisa est. Ac licet aliquot earum tituli dudum in patriam nostram allati fuissent, nemo tamen aliquem ex iis sensum elicuerat, donec altero huius seculi anno Grotefendius[3], qua est ingenii sagacitate et felicitate, desideratam viam patefecit; is enim in titulo

---

editum Lond. 1851. 8, in nostrum sermonem translatum a Zenkero Lips. 1852. Blackburn, Nineveh, its rise and ruin, 1852 (III) 12. Antiquitates Assyriorum, ll. ss. ratione diligenter habita exposuit H. Gosse, Assyria, her manners and customs, arts and arms, Lond. 1852; de definitis earum partibus disputarunt Fergusson the palaces of Nineveh und Persepolis restored, Lond. 1851. Raoul-Rochette Memoir d'archéologie comparée asiatique ct. Sur l'Hercule Assyrien ct. Parisiis 1848. Journal des Savants, 1849 m. Maio ss. Quatremere in iisdem actis m. Septembris ss. 1849. Grotefend Anlage und Zerstörung der Gebäude zu Nimrud ct. Gotting. 1851. 4. — Hoefer Chaldée, Assyrie, Médie ct. Paris. 1852. Succinctam quidem rerum enarrationem, at amplissimis annotationibus ornatam concinnavit Weissenborn Ninive und sein Gebiet, Erford. 1851, 4; quae maximi sunt momenti, congessit Kitto Scripture Lands 1851, 8; Ruins of sacred and historic lands 1850. 12. — Annuntiata sunt, quae mox prodeant in lucem: Layard, Monuments of Niniveh, 2. series. Eiusdem: Niniveh and Babylon, the results of fresh discoveries made during a second expedition to Assyria. — E quibus Bonomii liber ingeniosa rerum tractatione maximeque eo, quod omnium omnino monumentorum, quae in Museo Britannico exstant, et plurimorum ex iis, quae Parisiis inveniuntur, expressas exhibet imagines, nec non liberali insuper pretio praeter ceteros magnopere commendatur.

1) Cfr. Layard Nineveh and its Remains II, 153 ss.; ed. Meissner p. 270 ss. Rawlinson Commentary on the Cuneiform Inscriptions of Assyria ct. p. 2 ss. Vaux Nineveh and Persepolis p. 395 ss. Bonomi Nineveh p. 337 ss.

2) Cfr. Diodori Sic. bibl. II, 13.

3) Cfr. Heerenii Ideen, I, a, 397 ss.

quodam Persepoli a NIEBUHRIO descripto saepius repetitas formulas, quibus de regibus dici videbatur, accurate inter se contendit, et persicas voces et nomina, a veteribus traditas, iis adaptare conatus, Zendicae et Sanscritae aliarumque dialectorum auxilio adhibito, eum elicuit sensum, qui postea amplioribus disciplinae subsidiis splendide confirmatus est. Descriptis enim compluribus paullatim eiusmodi tabulis BURNOUFIUS quoque et BENFEIUS et praeter ceteros LASSENIUS prospero gavisi eventu in hoc genere elaborarunt. Summae autem laudes RAWLINSONIO debentur, qui praestantissimam inscriptionem Behistunensem, quae quadringentas lineas complectitur, gravi labore descripsit et Persicum titulorum genus ita paullatim interpretatus est[1], ut non multum iam de eo dubitetur[2]. Primo igitur genere enucleato ad alterum tertiumque, Medicum dico et Assyrium, accedere licebat. Atque ut alterum statim absolvamus, non multum adhuc in eo elaborarunt vv. dd.[3]; quid? quod ne de nomine quidem inter se consentiunt, qui suam ei impendunt operam, sed Medici sive Scythici generis appellatione utuntur, donec natura eius certius definiretur. Laetior longe atque felicior opera in indagando Assyrio s. tertio genere exstitit, praesertim ex quo amplissima eius exempla in ipsis Nini ruinis reperta sunt. Verum longe intricatior atque difficilior eius interpretatio est, quam quis opinetur forte, cum, prima parte explicata, reliquae nullo fere negotio videantur posse patere, cum eadem nomina et sententias alia lingua exarata exhibeant; nam cum Persica cuneatae scriptionis species quadraginta fere signis constet, in Assyria plus sexcentis iam inventa sunt, quae magis minusve inter se differunt; et quo plures studium suum operamque in hanc quaestionem contulerunt, eo magis sententiae eorum et rationes inter se diversae sunt. Nam de natura linguae plurimis quidem idem placuit, quod e ll. ss. patet (Gen. X, 10)[4], Semiticam esse;

---

1) Cfr. Journal of the Royal Asiatic Society vol. XI. all.

2) Cfr. Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft, vol. V, 1851, p. 447.

3) Varia vv. dd. in hoc genere studia recensuit HOLTZMANN über die zweite Art der Achaemenidischen Keilschrift (Zeitschr. der d.-morgenl. Gesellsch. V. p. 145—151), brevi conspectu perstrinxit ROEDIGER ibid. p. 450.

4) Quod Assyrius sermo a Iudaeis non intelligebatur Ies. XXVIII, 11. XXXIII, 9, non prohibet, quin Semiticam teneamus naturam (cfr. TUCHII

uni LUZZATO[1] de indoeuropaea indole persuasum est, etiamsi aramaicas aliquot voces deprehendi non negaverit; nec tamen defuit, qui e Chinensium sermone optime has literas illustrari opinaretur[2]. Discrepant autem vv. dd. eo, quod alii sinceram Semiticarum linguarum naturam in illa expressam esse tenent, DE SAULCY[3], STERNIUS[4], LOEWENSTERN[5], LONGPERIER[6], cum RAWLINSONIUS[7] alphabeti rationem et nonnulla alia Aegyptiacum aliquid olere contenderet; id quod non plane abnuit HINKSIUS[8], Arianam tamen naturam Semiticae fortius commistam esse existimat. Semiticum autem genus RAWLINSON cum aliis indiciis permultis, tum biliteris verborum radicibus[9] et summa pronominum similitudine, quae cum Hebraeis intercedit, comprobare sibi videtur[10]. Quare cum de capite rerum inter summos in hoc genere viros non permagnus sit dissensus, magis differunt, ubi quaeritur, quidnam singulis signis atque figuris significetur; nam cuneatae scriptionis[11] ratio maxime est composita atque intricata.

Genesis p. 253, WICHELHAUS de N. Ti. versione Syriaca p. 11), cum de Chaldaeorum lingua idem legamus dictum Ierem. V, 5 (cfr. KNOBELII Völkertafel p. 156). De voce ארמית Ies. XXXVI, 12, cfr. WICHELH. ib. p. 10.

1) PHIL. LUZZATO le Sanscritisme de la langue assyrienne etc. Patav. 1849. — Etudes sur les inscriptions Assyriennes, ct. 1850. p. 208.

2) DE PARAVEY Ninive et Babylon, expliqués dans leurs écritures et leur monuments par les livres emportés en Chine. ct. Paris. 1845—6.

3) Revue archéologique VI, 1849—50. p. 42 ss.

4) STERN die dritte Gattung der achaemenischen Keilinschriften. Götting. 1850.

5) ISIDORE LOEWENSTERN Exposé des éléments constitutifs du système de la troisième ecriture cunéiforme de Persépolis. Paris. 1847. cfr. Zeitschrift der deutschen morgenl. Gesellsch. IV, p. 465.

6) Cfr. Revue archéologique IV, p. 501 ss.

7) Commentary on the Assyrian and Babylonian Inscriptions p. 2 ss. LAYARD Nineveh II, p. 205 ss. (p. 297 ed. MEISSNER). BONOMI l. l. p. 376.

8) Cfr. Athenaeum Londinense 1850, p. 908. Zeitschr. der d. morgenl. Gesellsch. IV, p. 465, not. 32.

9) Cfr. RAWLINS. Commentary p. 12 ss. DELITZSCH. Ieschurun, et Genes. p. 407.

10) Cfr. RAWLINS. Comm. p. 2 ss.; v. c. anak = אנכי, ten = נתן, mit = מות, rad = ירד all. Permulta etiam verba idem fere audiunt in utroque sermone, v. c. בר, בית, עיר all., cfr. l. l. p. 15.

11) Praeter cuneatum scriptionis genus, publico usui destinatum illud, cuius originem luculenter exposuerunt LAYARD. Niniveh und seine Ueberr. p. 179 ss., GROTEFEND. die Tributverzeichnisse des Obelisken zu Nimrud

Primum enim quinque Assyriae literaturae species distinguuntur, cuneorum compositione diversae: assyria, simplicissima illa, medo-assyria, babylonica maxime impedita, achemaeniaco-babylonica, postremo elymaica; quibus tamen omnibus eandem exprimi linguam existimant, dialectorum tantummodo diversitate variatam[1]. Gravissima autem dissensio est de signorum potestate; quaeritur enim, utrum suam quaeque exprimant notionem et cogitationem, an syllabas integras, an literas tantum, consonantes et vocales. Atque aliquam quidem signorum partem esse ideographicam, ut aiunt, primus perspexit HINKSIUS[2]; simul autem permultis figuris syllabas contendit significari[3]; in utroque consentientem habet RAWLINS., qui tamen in eo non acquievit, verum singulas etiam exprimi literas existimat, ita ut antiquissima cuneatae scriptionis exempla notiones per figurarum similitudines videantur indicasse, deinde syllabas tantum et postremo primas quasque harum syllabarum literas solas. Ad eandem sententiam pervenerunt DE SAULCY et GROTEFEND.[4], assentientibus BOTTA et LOEWENSTERNIO. Disce-

---

p. 5 ss., aliud posteriore aetate invenitur cursivum, non, ut illud quidem, a sinistra ad dexteram, verum a dextera ad sinistram exaratum, quo privatim usi fuisse videntur, Phoeniciis literis haud dissimile; cfr. LAY. p. 275 ss. (II, p. 164 ss.). Idem genus in vasis quibusdam fictilibus inscriptum putaverunt, quae reperta in Nini ruinis Londinum perlata in Museo Britannico exstant; at licet vix aliqua verba plane sint enucleata, perspici tamen adhuc potuit, ad chaldaicum sermonem ea referenda esse. cfr. Athenaeum Lond. 1851, No. 1348.

1) Cfr. BONOMI l. l. p. 350—356.

2) Cfr. Athenaeum Lond. 1850. p. 555. qq.

3) Cfr. ibid. p. 908. HINKS. nunquam singulas literas cuneis significari existimat.

4) Cfr. RAWLINS. Comment. on the Cuneif. Inscr. p. 4 ss. Memoir p. 4. cfr. Athenaeum 1850, p. 908. BONOMI l. l. p. 374 ss. RAWLINS. in epistola a. d. VIII Cal. Octobr. anni praeteriti Nini perscripta (cfr. Athen. 1852, No. 1311. p. 1362) asseverat „that the era of Nabonassar marks the introduction of Assyrian writing into Babylonia, where a kind of hieroglyphic only was previously in use. He thought he had found evidence, that the hieroglyphic writing had been carried to Assyria X or XII centuries before the Christian era, improved, there made partially phonetic, and reimported in its altered shape at the epoch mentioned." Porro aliquot attulit exempla, quibus demonstraretur quomodo cunei paullatim a notionum significatu ad syllabas et literas transformati essent. — cfr. GROTEFEND. die Tributverzeichnisse ct. p. 14.

dunt autem magnopere ab eorum consensu Sternius[1] et Luzzato, cum singulis signis literas deinceps singulas semper indigitari asseverarent. Nos quidem, ab his studiis alieni, argumenta eorum et rationes diiudicare non valemus; plus tamen communi illorum sententiae tribuendum opinamur, quam horum ingenio, praesertim cum illorum agmen ducat Rawlins., vir clarissimus, amplissimo exemplorum apparatu instructus, cui summa in hac disciplina auctoritas ab omnibus conceditur; reliqui autem, qui ei assentiunt, quorum nomina et ipsa magno cum honore appellantur, longe inter se diversi studiorum institutione, et domiciliis separati, ignari plerumque eorum, quae eodem fere tempore quisque elaboraverit, hi inquam ad eandem rationem adducti fuerint. Neque vero ideo de singularum figurarum vi et potestate consentiunt; nam secundum vv. dd. sententiam cuneatorum titulorum explicatio gravissima difficultate premitur ea, quod non solum iidem soni variis signis exprimuntur, verum etiam eaedem figurae, ubi diversis modis cum aliis coniunctae et compositae exhibentur, longe diversos notare sonitus putantur[2], sicuti omnino Assyrii in inscribendis cuneis satis arbitrarie versati esse existimantur[3]; accedit ingens signorum multitudo[4], quam supra diximus; nec grammatices satis firmas ratasque adhuc regulas investigaverunt. Unde repetendum est, quod regum etiam nomina vel eiusdem systematis patroni satis diversis modis legerint; veluti palatii Khorsabadici conditorem Rawlins. antea docebat appellari Arkot-sin[5], postea Sargina[6], quem eundem etiam Sal-

---

1) Cfr. das Ausland 1852, No. 265.

2) Cfr. Rawlins. Comment. l. l. Memoir p. 3. Gravissima deinceps signa quomodo usurpentur, in hoc libro explicare incepit v. d.; at duabus literis ita tractatis (a et e), editio operis interrupta neque adhuc continuata est. — cfr. Grotef. l. l. p. 10 ss.

3) Cfr. Grotef. l. l. p. 18. Secundum eius v. d. sententiam inscribendorum titulorum magistri interdum, ne quid confunderetur, signis quibusdam cavisse videntur, cfr. p. 26.

4) 246 diversa signa proposuit et partim interpretatus est Rawlins.: Indiscriminate list of Assyrian characters; v. Journal of the Royal Asiatic Society vol. XIV, 1, in quo volumine simul continetur Babylonicae inscriptionis Behistunensis interpretatio et saepius laudatum illud „Memoir.“

5) Cfr. Commentary p. 51 ss.

6) Cfr. Athenaeum 1850, No. 1243, p. 903 a. Outlines p. 26.

manassarem nominari contendit, DE SAULCY [1] autem Sardon vel Assarhaddonem, GROTEFEND. Nabopolassarum [2], ne dicam LUZZATO [3] interpretari Kyniladanum; porro rex ille, qui celeberrimam statuam Nimrudensem inscripsit, a RAWLINS. ferebatur appellari Temen-bar [4], cui nuperrime praetulit nomen Divanubara [5], a GROTEF. autem legitur Shalmaneser [6]; et Israelitarum, ut videtur, principem, qui dona regi Assyriorum afferens imaginibus ibi expressis inducitur, RAWLINS. simul et HINKS. affirmant esse Iahua, filium Khumriya [7], GROTEF. autem Iuah, filium Ubri [8] (2 Reg. XVIII, 18 ss.).

Quae cum sit in eruendis inscriptionum sententiis discrepantia, tamen de universo earum argumento minus inter se dissident quam de regum nominibus, et indefesso illorum studio et opera factum est, ut alii aliorum argumentis et rationibus religiose perpensis modo haec, modo illa concesserint [9]; nec temere videmur sperare fore, ut quo amplior inscriptionum multitudo e monumentis, quae vel reperta dudum sunt vel summa Francogallorum et Anglorum impensa opera indies effodiuntur, publici paullatim facta iuris et virorum doctorum examini fuerit subiecta, eo gravissima haec disciplina ad certiorem indies rationem coniunctis viribus perducatur. Sic multa utique lux obscuris Assyriorum rebus debebit accedere, si quando probe fuerint investigata, quae in publicis regum tabulis suo ordine dispositis, nuper a Layardo repertis [10], et quae in regiis catacombis modo detectis [11] continentur perscripta.

---

1) Notes sur les noms des rois Assyriens publiés par Mr. LAYARD. cfr. Revue archéologique 1849—50, p. 773 ss.

2) Cfr. BONOMI p. 379; coll. GROTEF. Tributverzeichnisse p. 22.

3) Etudes sur les inscriptions Assyriennes de Persepolis, Khorsabad ct. p. 184.

4) Cfr. Commentary p. 30.

5) Cfr. Outlines p. XXIV.

6) Cfr. Anlage und Zerstörung der Gebäude zu Nimrud p. 9.

7) Cfr. Athen. 1851, No. 1274, p. 357. Literary Gazette 1851, p. 257.

8) Cfr. Tributverzeichnisse p. 32. 39.

9) Cfr. ex. gr. Transactions of the British Association ct. 1850, p. 140. GROTEF. Tributverzeichn. p. 89 all.

10) Cfr. Athenaeum 1850, p. 909.

11) Cfr. Athen. 1852, No. 1279, p. 490. „Colonel Rawlinson has opened out the entire place of sepulture of the kings and queens of Assyria.

Quae cum ita sint, vix iis, quae vv. dd. illi singuli sibi quisque videntur elaborasse, fides omnino erit permagna habenda; neque enim in tam incerto atque mutabili totius disciplinae statu quicquam pro certo atque explorato potest accipi. At vero ubi de diverso fiduciae modulo, quae cuique largienda sit, quaeritur, nihil reliquorum detractabimus auctoritati, cum plurimum tribuamus Rawlinsonio, quippe qui non solum ditissima inscriptionum collectione sublevetur atque in Assyria antiquitate exploranda totus versetur, verum etiam, cum alii de singulis tantum partibus suas declaraverint sententias, ipse solus fere universam rerum Assyriarum historiam complexus idoneo conspectu proposuerit; ac licet in nonnullis rebus sententiam suam immutaverit, tamen maxime in animum fidemque legentium sese insinuare valet, quia certa ab incertis tam distinguit ipse quam perpetuo distinguenda monet. Non omnia tamen eius placita eodem habebimus loco, sed ea summo, quae aliorum consensu magis etiam commendantur. — Ergo eam auctoritatem, quam secundum ratas fidei historicae leges domesticis gentium monumentis tribuere debemus, nondum iis valemus largiri; ita autem utemur iis, ut indicia eorum grato animo accipiamus ad comprobanda et confirmanda ea, quae aliunde dudum fuerint demonstrata.

Haec autem ratio nisi de inscriptionibus non valet; nam quae ex ipsis tabularum imaginibus diligenter inter se collatis videantur patere, iis non est quominus liberius utamur, id quod in explicandis potissimum Nahumi verbis saepissime admisimus.

Iam vero sicuti omnino in incertis rebus librorum sacrorum lux certissima eo amplius solet splendere atque obscura loca collustrare, ita etiamsi divina eorum indoles posthabeatur, vel humano iure gravissima sunt, quae de Assyriorum rebus exhibent, quoniam aut ab iis exarata sunt, qui quas describunt rebus ipsi interfuerint, aut ex eorum scriptis haud ita multo post ab aliis religiose delibata. Quae autem sic tradita accepimus, eo sunt ampliore habenda loco, quod de origine populi et primis regni initiis talia inde docemur, qualia non mythicam indolem prae se ferant, verum ad exploratae historiae dignitatem et rationem ap-

---

There they lie, it is said, in huge stone sarkophagi, with ponderous lids decorated with the royal ornaments and costume, just as they were deposited more than 3000 years ago."

pareant referenda; tum vero, licet multa per secula Assyrium nomen in ll. ss. non reperiatur, eo tamen tempore, quo ad summum potentiae fastigium evecti subito ad interitum praecipites vergere coeperunt, satis copiose suppeditant, quae ad historiam eorum probe concinnandam pertineant.

At vero veterum scriptores, qui temporum Assyriorum rationes potissimum composuerunt, ii multis primum seculis vel ab everso regno abfuerunt, nec utrum domesticis eorum fontibus ipsi fuerint usi, pro certo affirmari potest; neque vero fides iis non magna habenda esset, si quae BEROSUS et ABYDENUS e Babyloniorum, CTESIAS e Persarum tabulis publicis elicuerunt, accurate essent descripta atque ipsorum manibus exarata ad nos pervenissent; at vera falsis magnopere exhibent commixta, nec libros eorum integros accepimus, sed fragmenta tantum per manus sat multas easque haud semper accuratas tradita. HERODOTUS autem (quoniam amplum eius de Assyriis opus aut non perscriptum est aut temporum iniuria deperditum), non universas populi res complectitur, verum singulas quasi praetereundo interdum tangit, tamen gravissima quaedam stamina praebet. Horum igitur et aliorum quorundam scripta, qui minoris in hoc genere momenti sunt, modo diligenter et accurate inter se contendantur atque perpensitentur, ubi idoneo continentur consensu, satis magni facienda videntur, quoniam res Assyriorum accurate et copiose enarratas a nemine accepimus. Nobis autem parum propositum est, de variis eorum calculis et opinionibus uberius disceptare, praesertim cum nostra memoria comparatio illa diligentissime a nonnullis vv. dd. instituta sit[1]; quae non videantur omittenda, ea suo quoque loco monebimus; non praetermittamus tamen notare, sententiam eorum, qui, ne CTESIAE indicia a BEROSO et HERODOTO et ll. ss. nimis discreparent, duplex Assyriorum regnum fuisse opinarentur, vetus quoddam ineunte nono a. Ch. seculo eversum illud, et alterum, sub finem s. sexti ex-

1) Cfr. praeter ceteros W. HUPFELDII Exercitationes Herodoteas, spec. I de rebus Assyriorum 1837; sp. II de vetere Medorum regno 1843; sp. III rerum Lydiarum particula I, 1851. Hisce diebus libellum satis accurate conscriptum edidit Io. BRANDIS: rerum Assyriarum tempora emendata. Breviter, quae de Assyriorum rebus tradita sunt, inter se comparata proposuit WINERUS R. W. a. v.

stinctum, hanc igitur sententiam luculentissimis argumentis dudum apparere refutatam [1].

Iam ut ad prima Assyriorum initia redeamus, originem gentis ad Assurem, alterum Semi filium, referendam esse docemur Gen. X, v. 21. Ibidem prima eorum fata reperiuntur consignata. Legimus enim v. 10, Nimrodum, posteaquam in Babylonia regnum condiderit, in Assyriam profectum [2], finibus imperii pro-

---

1) Cfr. Hupfeld. de rebb. Assyrr. p. 28 ss.

2) מן־הארץ ההיא יצא אשור ויבן וגו׳, e terra illa exiit in Assyriam et aedificavit ct." Sic verba esse vertenda, Calv., Drus., Tuch., Knobel., Delitzsch. secutis persuasum nobis est. Fuerunt autem qui Assurem, Semi filium, e terra Sinear egressum intelligerent, e quibus nominamus LXX, Ioseph., Hieron., Rasch., Luth., Hupfeld. (de rebus Lydorum p. 8), cfr. Vaux, Nineveh and Persepolis p. 8; quibus non tantopere dixerim obstare, quod hoc loco de Hamitis, postea demum de Semitis dicitur, quam omnem v. 9ni rationem esse contrariam, quippe in quo dominationis Nimrodicae narratur initium, cuius continuatio et progressus nusquam inveniri potest nisi his verbis comprehensus. Porro alii, Cyrill., Corn. a Lapide, Pfeiffer. (dubia vexata p. 82) „Assurem sumunt personaliter pro filio Nimrodi qui apud profanos appellatur Ninus" — id quod per se constare nequit et ingentem etiam verbis caliginem offundit. Nec minus igitur improbandum est, quod Quatremere (Journ. d. Savans 1849, p. 560) et Hupfeld. l. l. hinc sibi videntur elicere: „ab hac colonia Semitica, quae Cuschitis in Babyloniam irruentibus in Assyriorum finibus consedisset, nomen et regnum Assyriorum cepisse initium." Iam vero nostrae interpretationi exprobraverunt, a) siquidem אשור esset accus. loci, non debere deesse ה localem (Pfeiffer, Schumann, v. Bohlen); at Tuch. (Gen. p. 236 dudum monuit, similiter deesse ה Deut. XXVIII, 68. 1 Reg. XI, 17. XXII, 37. 2 Reg. X, 17. XV, 14; cfr. Ewaldi ausführl. Lehrb. §. 282, a, 1. b) אשור tanquam regionis nomen nondum notum esse legentibus monet Pfeifferus; at vero habetur eo sensu II, 14 קדמת אשור. Reliqua Pfeiff. argumenta pro nihilo habenda censemus. Iam vero nostrae sententiae praeter argumentum illud supra indigitatum magnopere favet a) quod יצא haud raro sensu hostili dictum legitur: egredi in bellum, cfr. 2 Sam. XI, 1. Ies. XLII, 13. Ps. LX, 12. b) accedit, quod Micha II, 5 diserte Assyriam vocat terram Nimrodi (cfr. Caspari über Micha p. 172). — Docemur igitur Babylone condita, Nimrodum Assyria potitum Niniven ct. aedificasse, atque adeo Cuschitas cum Assyriis Semitis esse commixtos; id quod aliis insuper argumentis magis magisque comprobatur. cfr. supra p. xxxv. Delitzsch. Genes. p. 223. — Ceterum memoria dignum videtur ut notemus Hoefer. in libro paullo post recensendo p. 244 אשור interpretari gressum: „e terra illa exiit gressus aliquot!" — Refutatur autem idonea loci interpretatione Diodori et Strabonis opinio, qui Babylonem serius conditam esse quam Ninum docuerunt. cfr. Tuch. l. l.

latis, quattuor ibi oppida condidisse, Niniven, Rechoboth Ir, Kalach, Resen; e quibus Nini situs certo definiri potest: sita erat in sinistra Tigridis ripa[1], non multum supra illum locum,

---

1) Eo loco Ninum olim sitam fuisse, luculentissimis argumentis comprobatur, quae tam veterum suppeditant scripta quam medii aevi auctores geographici et traditae deinceps per tot secula incolarum opiniones et narrationes; id quod uberrime demonstraverunt RITTER. Erdk. p. 171 ss., nec non TUCH. in commentatione diligentissime conscripta illa de Nino urbe, p. 3 ss. 17 ss.; brevem horum argumentorum et ceterarum rerum, quae ad situm Nini et historiam pertinent, conspectum proposuit WEISSENBORN, Ninive u. sein Gebiet. Ac Xenophontis quidem auctoritas, qui in illa regione castra posuit, Nini autem nomen videtur ignorasse, nec nisi Mespilam affert tanquam nomen ingentium ruinarum, tantum abest ut quicquam contra hanc sententiam valeat, ut vel ex ipsissimis verbis eius pateat, non posse eum nisi Nini descripsisse ruinas; nam lapides caesi, conchis et petrefactis distincti, quas in ruinarum moenibus sese conspexisse ait, nusquam nisi in illis omnino reperiuntur, quas aliunde constat esse Nini; cfr. RITTER. l. l. XI, p. 175. 238. TUCH. l. l. p. 42 ss. infra p. 115. DIODORUM autem vehementer errasse cum Bibl. II, 3. 27 Ninum apud Euphratem sitam fuisse traderet, cum inde apparet, quod ipsius verba haud satis inter se constant (cfr. RITTER. l. l. p. 228), tum clarissimis HEROD., STRAB., TACIT., PTOLEM., AMMIANI MARCELLINI, PLINII testimoniis confirmatur (cfr. RITTER. ibid. p. 171 ss.); unde simul patet, falso a PLINIO ad occidentalem Tigridis ripam urbis locum transpositum esse. Nihilominus nostra memoria inventus est, qui DIODORI opinionem non modo fortiter defenderet, verum etiam omnem moveret lapidem, quo commonstraret, ruinas e regione Mossulae apertas nullo modo posse neque Nini neque omnino Assyriorum esse, FERD. HOEFER. dico, qui futilem disceptationem suam, partim expositam in diurnis Parisiensibus L'illustration 1849, 22. Nov., 1850, 26. Ian., uberius declaratam in libris: Premier et second mémoire sur Ninive, Paris. 1850, etiamsi diligenter fuerit refutata a QUATREMERIO (Journ. d. Savans 1850, m. Iun.) et de SAULCY aliisque, nihilo secius copiose repetiit nostro primum sermone (cfr. Wiener allgem. Bauzeitung ed. FOERSTER 1850, Literatur- und Anzeigeblatt p. 79—107) deinde etiam Francogallico (L'Univers. Histoire et Déscription de tous les peuples. Chaldée, Assyrie, Phénicie ct. par F. HOEFER. Paris. 1852, p. 248 ss. p. 323). At vero argumenta, quibus arbitrariam opinionem suam sibi videtur fulcire, eiusmodi sunt, ut, si vel nulla haberemus veterum testimonia, quae Ninum in sinistra Tigridis ripa constitutam fuisse affirmant, vel miserrima illorum ratione altera illa magnopere labefactaretur; quae ut referamus et recenseamus, operae pretium non est; satis erit supra et p. 27. 67 aliquot ex iis indigitasse; quo addimus, quod nusquam Nini rudera nunc possent reperiri, inde maxime probare v. d[um], quod Nahum et Zephania praedixissent, urbem funditus fore eversam!

ubi Zabatus fluvius in Tigridem cadit, e regione oppidi Mossulae; de reliquis coniiciendo tantum concludi potest, ubinam fuerint sita [2]. Has autem urbes magis magisque paullatim amplificatas,

---

2) Statuto Nini loco, quid de reliquis oppidis concludere valeamus, videndum est. Atque Geneseos quidem verba nihil omnino suppeditant, quam quod Resen inter Niniven et Kalach medio fuerit interiecta loco. Iam igitur cum Ninus e regione Mossulae sita tumulis artificiose exstructis Nebbi Yunus (de quo cfr. Lay. Niniveh p. 316) et Koyundjuk (cfr. ibid. p. 253 ss.) fere referatur, Kalach quaerenda forte videatur in ruinarum mole illa, cui nomen est Kalah Shergat (cfr. Lay. ibid. p. 10. 215 ss.) inter utriusque Zabati s. Lyci ostium, 50 mill. angl. super Zabatum minorem sita, quae in circuitum paene amplissimum praeter ceteras ruinas extenditur (4685 Yards, cfr. Bon. Nineveh p. 102); sequeretur inde, ut Resen videretur monumentis Nimrudensibus contineri (Lay. p. 11. 272), quo nominis etiam similitudo ducit a Xenophonte nuncupati *Λάρισσα*, quo nisi Nimrudem non posse significari tam e natura locorum (cfr. Tuch. l. l.) quam ex itineris longitudine, quo Larissa Mespilam s. Ninum sese profectum esse narrat, extra omnem dubitationem positum est (cfr. Ritter l. l. Tuch. l. l.). Cuius sententiae patroni, Bon. l. l. p. 98 et Wichelhaus (Zeitschr. d. deutschen morgenl. Gesellsch. V, p. 482, ubi probe docetur, quomodo כלח distinguenda sit a חלח in libb. Regum commemorata, et a Cholwan, nimis ad meridiem remota) videant, ne merae nominis similitudini nimium tribuant; nam Kalah mera est loci nota, quemadmodum in eadem fere regione mappae geographicae exhibent vicos Kalah Machul, Kalaa Bureijasch, all.; tum vero ne altera quidem similitudo, quam inter Resen et Larissam intercedere Bochartus (Phal. III, 20) dudum notavit, magni facienda videtur. Aliter statuerunt Layard. (Niniveh p. 11) et Rawlinson., qui Kalach contendunt esse Nimrud, cum aliis ex caussis, tum, quia ruinis illis saepissime nomen inscriptum inveniatur Calah, cfr. Rawlins. Commentary p. 17. 18, Outlines p. XXII, ubi asseverat v. dd.; „The identification, it must be observed, of these two cities of Nineveh (immediately opposite to the modern town of Mosul) and Calah (upon the site which is now called Nimrud) is quite positive; the names are found on every brick and almost every slab, which is excavated from the respective sites.“ Nomen autem Larissae nihilominus ad Nimrudem pertinere opinatur, cum a Sanheribi in memoriam victoriae apud oppidum Lachisch de Aegyptiis reportatam (cfr. infra) urbi Calah videretur superadditum, cfr. Outlines p. XXXVI: „it may have been in commemoration of his victory on this occasion, that Sennacherib bestowed the same name on his Assyrian capital of Calah, a city which is also termed Lachis, לקסה, in the Samaritan Pentateuch, (teste Michaele spicileg. 247, cfr. Rawlins. Commentary p. 18) and is named Larissa by Xenophon.“ Quae quomodo accuratiore scriptionis cuneatae indagatione confirmentur, exspectandum est; ac si quando haec sen-

postea communi Nini, „urbis magnae,“ [1] nomine compre-

---

tentia comprobata fuerit, Resen inter Nimrudem et Mossulam sitam fuisse opinabimur. Ceterum a recto aberrasse videtur LAYARDUS, qui Athen. Lond. 1850, Apr. 20 rudera huius oppidi reperisse dicitur in ruinis illis vico Reish Aina apud Chaboram fluvium adiacentibus; nam vici illius nomen (Ῥεσεῖνα PTOLEM.) probe interpretandum est: caput fontium (cfr. RITTER XI, p. 375), neque vero situs ille, quem traditum legimus Gen. X, 11, cum illa opinione coniungi potest. — Notandum etiam est, Rechoboth Ir frustra a vv. dd. hic illic quaesitam esse; meridiem versus a Kalach sita videtur secundum versionem Samaritanam, quae reddidit סטכן, Sittace (Σιττακήνη PTOLEM.), cfr. WINERI RW. a. v.; alios similitudine nominis Rahaba seductos fugisse videtur, IAKUTUM plus VII eius nominis afferre loca; TUCHIUS Genes. a. h. l. idem esse existimat quam רחובות הנהר Gen. XXXVI, 37, apud Euphratem sita, ibique fere ruinas nuper consimili nomine insignitas invenit Col. CHESNEY, cfr. BON. l. l. p. 43. — Ceterum, licet omnis haec quaestio in loco haud satis firmo et stabili versetur, maxime tamen improbandam censemus KNOBELII sententiam, qui (Völkertafel p. 344. 5) Niniven ibi sitam contendit, ubi hodie Nimrud, Resen ubi Koyundjuk, Kalach ubi Khorsabad, et Rechoboth Ir meridiem et orientem versus — nam, ut omittamus cetera, ex indiciis luculentissimis apparet, oppidum et palatia Khorsabadica octavo demum a Ch. seculo a Sargone vel Salmanassare condita esse.

1) Satis vexata verba illa Gen. X, 12 זה העיר הגדולה ad Resen haud probe referri possunt, cum nusquam neque in ll. ss. neque in veterum scriptis de magnitudine et celebritate huius oppidi quidquam legatur traditum; deinde quominus ad Ninum solam respici existimemus, grammatica ratione vetamur (ואת־רסן בין־נינוה ובין־כלח זה ה׳ ה׳); restat ut quattuor urbes una cogitatione comprehensas opinemur, id quod placuit KNOBEL., LAY., RAWLINS., FELDHOFF., DELITZSCH. Gen. p. 222, all. Iam vero, si hanc admittimus de explicandis Geneseos verbis sententiam, nullo modo cum illo ambitu confundenda est ea magnae urbis descriptio, quam in libro Ionae III, 3 expressam legimus: „et Ninive erat urbs magna deo, via trium dierum, מהלך שלשה ימים; de qua ex antiquissimis temporibus interpretum sententias constat discrepare. Nam ut omittamus Ephraëmi Syri aliorumque opinionem (cfr. ASSEMANI bibl. orient. I, 525—70) qui tres dies ita exponerent, ut prima die vatem urbem intrasse et hic illic praedicasse dicerent, altera ad magnates perrexisse, tertia denique ad regem admissum esse — quae interpretandi ratio studium illud elimandi omnia, quae mirificam speciem habere possent, apertius olet, quam quae in censum venire possit — interpretes longe plurimi non de longitudine sed de ambitu dici existimant; quibus adversantur ABARBANEL, ROSENM. (Alterthumsk. I. II. p. 117), HESSELBERG., JAEGER. (Tüb. Zeitschr. 1840, I, p. 63 ss.), HITZIG., qui verba מהלך ש׳ י׳ ad normam v. 4[ti] exigenda contenderunt, ubi legimus: „et coepit Ionah incedere in urbe viam

hensas fuisse, adiectis a Moyse verbis videtur indicari.

---

unius diei, מהלך יום אחד. At probe respondit Winerus RW. assentiente Haevernickio, vix prophetam recta via per urbem progressum, sed huc illuc prima die vagatum cogitandum esse; neque vero v. 4tum tam arcta necessitudine contineri cum v. 3io, quam cum 5to, atque adeo idem verbum utroque loco non necessario significare longitudinem itineris. Accedit, quod a Diodoro et Strabone eundem fere Nini ambitum traditum accepimus, cum ille Nini muros in quadranguli formam aedificatos 480 stadia comprehendere tradiderit, auctore Ctesia ut videtur, Strabo autem Ninum multo maiorem docuerit quam Babylonem fuisse, hanc autem (XVI, 1. 5) in 385 stadiorum ambitum extensam, quibus Herod. 100 fere stadia addidit (cfr. I, 178); iam si 150 stadia unius diei iter conficiunt (Herod. V, 53) trium dierum ambitum fere constare videmus. Atque hi quidem calculi detectis nuper Nini ruinis mirifice comprobantur. Sat variis quidem modis antiquum Nini circuitum vallis murisque et ruinarum molibus designatum reperisse sibi visi sunt, atque ipse Layardus quadranguli illius speciem quattuor ruinis referri existimat Nimrud, Koyundjuk, Khorsabad, Karamles, eamque norma et metris adhibitis nuper comprobatam asseverat (cfr. Rawlins. Outlines p. XLIII): maxime tamen omnium (cfr. reliquas opiniones a Rittero expositas, l. l. p. 224 ss.) Bonomii commendatur sententia, qui figuram a Diodoro descriptam quadrare demonstravit in spatium illud quod includitur tumulis Koyundjuk et Nebbi Yunus, Khorsabad, Karamles, Kara Kush, et iugo montis Gebel Maclub; cfr. Bon. p. 94; quorum ambitus 60 milliaria angl. $(10+20+10+20)=480$ stadia comprehendit. Quae sententia eo magis commendatur, quod continua fere tumulorum ruinas continentium series descripta illa includuntur linea, Nimrudica autem palatia, quas Layard. una comprehendere mavult, prorsus separata et seclusa iacent, atque in titulis cuneatis Rawlins. auctore accurate a Nino distinguuntur. (cfr. Outlines p. XXII.). — Posset quidem cogitari, trium dierum longitudinem nihilominus ad Ninum referendam esse, quoniam extrema palatia duo, inter quae reliqua quasi interiecta omnia sunt, Khorsabad et Kalah Shergat, trium fere itinerum spatio distant; nam Khorsabad a Mossula V fere horarum intervallo abest, unde Nimrudem VIII horis proficiscuntur (cfr. Ritteri Erdk. XI, p. 241. p. 175); Nimrudenses autem ruinae medio fere inter Khorsabad et Kalah Shergat loco sitae sunt (cfr. mappam geographicam Layardi libro additam.). At nec traditum usquam est nec veri omnino videtur simile, tam immensam fuisse magnitudinem urbis. — Utcunque est, notanda probe sunt quae apposite monuit Gossius, Assyria p. 490: „It is not to be supposed that this vast area was covered with buildings, like our modern European capitals. Like all the great Asiatic cities, it was doubtless built in a loose and straggling manner, with many large fields for the production of corn and for the grasing of cattle, interspersed among the streets. We are told by Quintus Curtius that Babylon, even in the time of

Iam igitur Ninus condita est anno circiter 2230mo a. Ch., uti computavit USSERIUS (annall.), quocum concordat fere, quod CTESIA auctore regni Assyrii initia ab anno 2183^{io} [1] vel 2184to [2] repetenda docet. Primis abhinc seculis, quanta regni recens inchoati fuerit potentia, definiri pro certo nequit [3]; constat tantum ex Aegyptiorum fastis, c. a. 2000 a. Ch. Assyrios haud impotentes fuisse [4].

Deinde s. fere XV^{to} a. Ch. regni auctoritas si non permagna, tamen haud exigua fuisse videtur; id quod primum apparet e Bileami vaticiniis, qui summum inter gentes trans Euphratem colentes locum tribuit Assyriis [5], et praesagiente animo tantam aliquando eorum fore potentiam praedicat, ut Israelitas in exsilium deducerent [6]; nec minus e Moysis verbis Gen. II, 14, qui Mesopotamiam Assyriis illo tempore subditam fuisse indigitat [7]. Deinde

---

Alexander, was not continuously built over, but that within the precincts of the city there was a vaste space which was cultivated and sown, in order to provide food for the inhabitants in case of a blockade. The open fields, in fact, covered nearly as large a space of ground as the buildings."

1) Cfr. BRANDIS l. l. p. 12.

2) Cfr. HUPFELD. de rebus Assyriorum p. 5.

3) MOVERSIUS quidem (Phoenizier II, a, p. 258—72) amplissimum illo tempore Assyriorum regnum fuisse docet, nec vicinas solum regiones, verum Phoeniciam quoque et Asiae minoris partem imperio eorum paruisse; haec autem sententia, quam iure impugnavit STARKIUS (Gaza und die philistaeische Küste p. 192 all.), e domesticis potissimum fabulis repetita est, in quibus vetustissimae gloriae opinionem splendidissimis de Nino et Semiramide narratiunculis exornaverunt; MANETHONI autem et IOSEPHO, quorum utitur testimoniis, non multum in hoc genere tribuendum videtur, cum, ut omittamus cetera, IOSEPH. Arch. X, 1 reges illos Mesopotamios, qui Sodomitas bello petiverunt Gen. XIV, Assyrios regulos fuisse traderet, quemadmodum Kuschanem Rischataim Iud. III, 8 et ipsum refert ad Assyrios. — Ceterum plus quingentis annis post fines eorum latius patuisse, statim videbimus.

4) Cfr. LEPSII Chronologie der Aegypter I, p. 6.

5) Cfr. Num. XXIII, 22—24: „et urgent Assyrios omninoque Eber."

6) Quae licet praesagienti vatis animo per speciem et visionem fuerint oblata, tamen secundum ratas exploratasque prophetiae leges aliquo fundamento historico subleventur oportet. cfr. HENGSTB. Bileam p. 194—210. p. 260.

7) Explicatio verborum: קדמת אשור, ubi Tigridem fluere docemur, satis intricata est. Iure quidem asseveravit TUCH. a. h. l., קדמה semper

Aegyptios tunc bello conflictasse cum Assyriis, monumenta eorum probant[1].

Medio fere s. XIII[io] res Assyriorum immutatas esse, consentientes fere veterum scriptorum sententiae docent[2]. Traditur enim

---

notare regionem orientalem, nec usquam mere significare ante, prae, cfr. Gen. IV, 26. 1 Sam. XIII, 5. Ez. XXXIX, 11. Possit autem significatio illa, quam fuerunt qui statuerent (Knobel. all.) omnino cogitando admitti, cum מקדם de tempore dictum reperiatur Ps. XLIV, 2 all. (cfr. Gesen. thes. a. v.), et קדימה Habak. I, 9 aperte valeat de parte antica (cfr. Delitzsch. a. h. l.); at vero, si illo Geneseos loco esset statuenda, ubi de situ fluminum disputatur, satis validis argumentis deberet comprobari. Iam vero אשור 1) antiquissimis temporibus proprias indigitat Assyriorum sedes trans Tigridem circa utrumque Lycum sitas (id quod probavit Tuch. l. l. p. 16); 2) postea demum, inde a sec. VIII[vo], patebat latius, cum Mesopotamiam etiam et Babyloniam Mediamque et Elamitidem complecteretur; quo sensu vocem a prophetis usurpari constat; nec minus apud Romanorum scriptores duplex iste verbi usus reperitur (cfr. Wineri R.W. a. v.). Potestatem igitur optionemque nobis factam esse videmus, utrum nihilominus illo tempore ampliorem illum sensum valuisse existimemus, qui multis demum seculis post invenitur, an sermonis usu et ratione neglecta difficultatem eo expedire malimus, quod ק' א' vertamus: ante s. cis Assyriam. Nobis primum illud praeferre satius videtur, praesertim cum gentes, quae illas incolebant regiones, occidentem versus deinceps tetendisse ex aliis quoque exemplis probetur (cfr. Gen. XIV). Ergo putandum erit, Assyrios seculo fere XV[mo] Mesopotamiae partem maximam tenuisse, ita ut ampliores eorum fines cis Tigridem quam ultra extitisse videantur (cfr. Hengstb. l. l. p. 261). Cui sententiae contrarium esse temere contendit Brandis. l. l. p. 65, quod Berosus ab anno 1976 — 1273 (cfr. Gutschmidii tabulam a Brandisio desriptam l. l. p. 17) Babylone Chaldaeorum et Arabum reges imperasse tradit (cfr. Euseb. chron. armen. p. 40); facile enim Babylonia ab Assyriorum dominatione poterat vacare, cum Mesopotamia esset subiecta.

1) Cfr. S. Birchii Observations on the Statistical tablet of Karnak, Transactions of the Royal Society of Literature ser. II, p. 218. 317. 345. cfr. Bon. l. l. p. 62. Notandum maxime est, quod utriusque regni fines lapidibus consignati describuntur titulo quodam Thothme III[io] regnante, cuius verba sic reddidit Birchius (cfr. Bon. l. l. ibidem): „Nenjiu, in stopping — when his Majesty came he set up his tablet to enlarge the confines of Kam (Egypt.).“ Assyrii praeterea nomine Schari in monumentis Aegyptiis afferri putantur a Champollione et Wilkinsonio, cfr. Hengstb. Aeg. u. d. Bb. Mosis p. 209; Birchius autem (cfr. Lay. Nineveh p. 394 ss.) Syros potius eo nomine significari existimat.

2) Cfr. Hupfeld. exercitt. Herod. I, 45. 50. III, 35. Brandis l. l. p. 56. Danckeri Geschichte des Alterthums I, p. 353.

Dercedatarum familia, penes quam a Nino inde et Semiramide summa rerum fuerat, illo tempore esse exstincta, cum Balatoras quidam ultimum regem, quem CTESIAS appellat Beleum, BEROSUS autem Belochum, regno eiiceret et rerum ipse potiretur. Sub nova autem dynastia, quae ad s. VIII^{um} usque continenter regnavit, fines imperii, domestico fere ambitu superato, augebantur deinceps atque amplificabantur, donec eo profecerant Assyrii, ut summa de orbe terrarum potentia gauderent. Primis autem illinc seculis aut tardius omnino progressi videntur aut orientem tantum versus victricia protulisse arma; neque enim, nisi ita esset, Davidis et Salomonis regnum tam feliciter, nihil ipsis refragantibus, ad Euphratem usque potuisset augeri. Fieri autem non poterat, quin occidentem[1] quoque peterent et Syriae etiam et Palaestinae arma inferrent, atque adeo ad Israelitarum fata magnopere pertinerent. Sic primus omnium, si cunei recte enucleati sunt, Iehu bellicosissimo regi illi, qui in statua Nimrudensi fastos suos expressit, Divanubarae, dona pertulisse videtur[2]. At quo magis Assyriorum augebatur potentia atque super-

1) Bello Troiano Memnonem ab Assyriorum rege Teutamo cum auxiliis missum interfuisse tradit DIODOR. bibl. II, 22; quid? quod PLATO leg. III, 685 ct. Troianum regnum Assyriaci imperii μόριον fuisse docet; Assaracus autem, Priami avunculus, summi numinis nomen refert. Assyrios omnino ad Asianarum gentium et Graecorum praesertim artes moresque conformandos magnopere pertinuisse, cum primo fere monumentorum aspectu appareat, tum in clariore indies luce constituitur.

2) Nomen regis, qui gravissimum hoc monumentum posuit, a RAWLINS. nunc Divanubara legi, a GROTEF. Shalmaneser, supra monuimus; referuntur autem XXXI annorum gesta, quae Salmanassaro impertiri nequeunt, nisi forte Sanheribum regulum tantum Salmanassaro subditum putare in animo est, id quod temere admisit GROTEFEND.; opinionem eius refutavit EWALD. Götting. gelehrte Anz. 1851, St. 60—62. Ceterum, quicunque fuit rex ille (quem RAWLINS. eundem esse ac Deleboram, a MACROBIO commemoratum opinatur Outlines p. XXIV) de aetate eius c. a. 860 statuenda vix dubitandum est, cum Chazaila s. Hasael, Damascenorum princeps, atque Ethbaal, Sidoniorum rex, nominentur. Altera autem eorum pars, qui dona splendidissima afferentes pinguntur, non solum expressum Israelitarum habitum ostendunt, verum nomen regis, a quo mittuntur, HINKSIUS simul et RAWLINS. affirmant exaratum esse: „Yahua filius Khumriya;“ fuit quidem Iehu non filius Omri, sed Iosaphati, et nepos Nimshi; at illius forte filius dictus est, cum haud ita multo post regnando eum excepit; Samaria autem in Assyriis titulis solet appellari Beth Omri. Libri sacri nusquam aliquam huius facti memoriam exhibent; tamen cogi-

bia, eo clarius paullatim apparuit, quanta et quam gravia munera exsequenda iis a Domino destinata atque iniuncta essent. Id quod in amplissima luce constitutum est vaticinio Ionae. Nam sicuti haud raro factum est, ut deus, cum summa quadam necessitate gens aliqua cum Israelitis contineretur, ei nomen suum et maiestatem singulari aliqua ratione manifestaret[1] — quemadmodum Aegyptiis per signa illa atque portenta, Babyloniis per Danielis verba et facta, Persis per praeclarum vaticiniorum de Cyro antea editorum eventum — ita ad Assyrios, quibus tanquam omnipotentiae suae instrumentis usurus erat, Israelitarum non minus quam Iudaeorum fatis declarandae, ad eos inquam Ionam emisit vatem, qui civitatem illam non humano solum verum divino etiam modulo[2] ad potentiae et malitiae fastigium evectam, interitus comminatione proposita ad poenitentiam sibi praestandam commoveret[3]; atque adeo ruptis quodammodo V. Ti. finibus salutem, ab Israelitis spretam, ad gentes aliquando redundaturam demonstraret. Quo facto cum Ierobeamo II regnante[4] declaratum esset, summum inter gentes locum Assyriis eo tem-

---

tari probe potest. Iehu enim omnem idololatriam quantum posset in utroque regno exstinguere conatus est; Assyrii autem Baalis et Astartis colendorum summi tum exstiterunt patroni, ac praeter ceteros rex ille, quem Divanubara appellavit Rawl., Assaraci cultum passim, quoquo penetrasset, instituisse gloriatur; atque adeo veri haud dissimile est, quod Iehu, ne inimicitiam eius et iram lacesseret, donis eum placaverit. — Grotefend. legendum censet Yahua ben Ubri, id quod propius abest a Rawlinsonii lectione antea probata ben Hubiri, eumque Hiskiae ministrum esse opinatur, 2 Reg. XVIII, 18 ss; is vero nominatur בֶּן־אָסָף. — Cfr. Rawl. Comment. pag. 47. Athenaeum 1852, No. 1274, p. 357; Literary Gazette 1851, p. 257; Rawl. Outlines p. XXIV.

1) Cfr. (Haevern.) das Buch Iona, ein apologetischer Versuch. Evang. Kirchenzeitung 1834, p. 218.

2) Cfr. Ion. III, 3: וְנִינְוֵה הָיְתָה עִיר גְּדוֹלָה לֵאלֹהִים. I, 2: כִּי עָלְתָה רָעָתָם לְפָנָי.

3) Quod tam facile Iona fortissimorum Assyriorum animos adeo percellere potuerit, praeter exempla satis similia (cfr. l. l. p. 222) eo referendum est, quod divinationi et cuiusvis generis superstitionibus magnopere dediti erant; cfr. supra p. XXV, not.

4) Cfr. 2 Reg. XIV, 25. Regis Assyrii nomen, qui poenitentiam praestandam populo praeivit, ex inscriptionibus nondum certo enucleatum est; Rawlins. opinatur regnasse eo tempore Adrammelechum IIum (cfr. Outlines p. XXVI).

pore esse assignatum, mox ad destinata sibi a deo munera exsequenda adducti sunt.

Ita enim sacra gens per omnia secula instituta atque educata est, ut ab aliqua deinceps gente, quae summam de orbe terrarum potentiam teneret, vexaretur; gentes autem, quae ita ad Israelis salutem comparandam cooperarent, non fortuito admittebantur, verum pro sua indole, et prout Israelis conditio exigeret, a deo eligebantur. Inter quas primum locum per longum tempus tenebant Aegyptii. A quibus cum a Rehabeami aetate vacassent, neque inde nisi minorum gentium inimicitia exercerentur, iam Iudaei non minus quam Ephraimitae eo abierant perversitatis, ut maioribus opus esset populis, qui summa potentia humana instructi eos non vexarent solum, verum pessumdarent atque contererent. Quo iam officio qui illo tempore perfungerentur, maxime idonei inventi sunt Assyrii. Primum enim opportunitas locorum, quibus proprias suas habebant sedes, idonea maxime erat ingenti imperio inde expugnando atque administrando, quoniam medium illum tenebant locum, quo summa quaeque itinera ex Asia et Europa et Africa undique cogebantur[1]; quo adde singularem coeli illius temperiem, quae ad corpora obduranda animosque a mollitie et segnitie revocandos magnopere pertinebat[2]. Maxime autem natura eorum atque indoles, qualem tam e ll. ss. quam ex monumentis perspicimus, strenua illa maxime atque bellicosissima, perfida simul et malitiosa, videtur consideranda. Est enim gens illa, quae „velociter et festinanter accurrit a finibus terrae; non est lassus inter eos nec qui impingat; non dormit nec admittit somnum; non soluta est zona lumborum eius nec atteritur lorum calcei — mugit instar leonum catulorum, et fremit et capit rapinam et aufert, neque est qui eripiat.“[3] „Ut heroës currunt, ut bellatores ascendunt murum,

1) Cfr. infra p. 119.

2) Cfr. TUCHIUM l. l. p. 26—37. Hodieque loca illa bellicosissimae tenent Kurdorum, Assiretarum all. tribus. cfr. RITTERI Erdkunde IX, 3, 570. 573.

3) Ies. V, 26—29. Patent quidem latius verba et Babylonios quoque et, qui praeterea secuti sunt, Israelitarum hostes comprehendunt; tamen, sicuti Ioëlis verba confestim afferenda, maxime cadunt in Assyrios, quippe qui primi a septentrione (cfr. Io. II, 2, 20) venerunt, et quibus posteri quodammodo continebantur. cfr. Ies, XIV, 24—27 et DRECHSLER. a. h. l.

et sua quisque via incedit, nec mutant semitas suas; nemo trudit alterum, in suo quisque tramite incedit, et per media tela ruunt, non abrumpunt viam; in urbe discursitant, in muro discurrunt, domus ascendunt, per fenestras ingruunt instar furis."[1] Ubi appropinquant, diro omnes percelluntur terrore[2]; mittuntur enim, „ut contundant gentes atque conterant,"[3] ut „pedibus eas conculcent tanquam coenum platearum."[4] Ubi grassatus est, desolata omnia et depopulata iacent[5]. Ea autem omnia superbia sua et oculorum maiestate elati suis viribus perpetrasse gloriantur[6], reges a solio detrusisse integrosque populos abduxisse, ipsaque eorum numina superasse et suam potentiam adeo iis maiorem comprobasse, ut vel Iudaeorum deum, Dominum exercituum, frustra sibi refragari opinarentur[7]. — Iam vero, ubi oculis perlustramur monumenta, primo statim obtutu occurrit, quod probe notavit KUGLERIUS[8]: „man erkennt ein stämmiges, untersetztes Geschlecht von sehr kraftvoller, aber zum Fettwerden geneigter Constitution, ein höchst eigenthümliches Gemisch von Energie und Ueppigkeit .... der Gesammteindruck der Figuren, seien es Männer, Weiber oder Eunuchen, hat immer etwas Ernstes und Imposantes." Luculentius etiam EDWARDSIUS[9] hanc indolem perstrinxit, cum declararet: „All the figures indicate great physical development, animal propensities very strongly marked, a calm, settled ferocity, a perfect nonchalance amidst the most terrible scenes; no change of feature takes place, whether the individual is inflicting or experiencing horrid sufferings. — The pictures are very remarkable as indicating the entire absence of higher mental and moral qualities, and the exuberance of brutal parts of mans nature. At the same time there is not wanting a certain consciousness of dignity and of inherent power. There is a tranquil energy and fixed

1) Ioël. II, 2, 7—9; haec verba egregie illustrantur monumentis; cfr. BON. l. l. p. 162. 190. 280. 281 all. LAY. Monuments ct. tab. 81 all.
2) Ies. X, 28 ss.
3) Ies. VIII, 9.
4) Ies. X, 6.
5) Ies. XXXII, 9 all.
6) Ies. X, 12. 13.
7) Ies. X, 8 ss.
8) KUGLER. Kunstgeschichte (2) p. 75. 76.
9) Cfr. KITTO Scripture Lands p. 50. 51.

determination, which will not allow the beholder to feel any contempt of this stern warriors.“ — Quo adde mirificas illas animalium species, quibus palatiorum portae custodiebantur, leones vel tauri humano capite alisque aquilinis insignes[1], robustissimi Nimrodi statuis variatas, qui altera manu leonem catulum, altera anguem nullo fere negotio comprimit[2] — quibus, quaecunque earum fuit significatio, monere certo videntur, quanta potestas in muris istis habitaret.

Atque hanc quidem naturam rebus a se gestis magnopere comprobaverunt; ingenti autem robori suo cum summa astutia et calliditate moderabantur. Hoc enim illud est, quo praesertim ab aliis differunt gentibus maioribus, quae antea vexarant Israelitas, quod non praedandi tantum caussa vicinos fines vexabant et exactis spoliis domum redibant, verum primi praestituto consilio et ratione id agebant, ut omnem deinceps terrarum sibi orbem subiicerent. In eoque ita fere versabantur, ut non vi statim et armis, quas possent, gentes opprimerent, verum praestigiis primum et falsis pollicitationibus irretire[3] conarentur; dein rixarum ansas diligenter quaerere, ut iure eas percellere viderentur; atque adeo occasionibus caute observatis, ubi gentes inter se dimicantes viderent, debiliores semper adiuvare affectabant, quo certius

---

1) Cfr. LAY. Ninive u. s. Ueberr. p. 422. BON. l. l. p. 130 ss. GOSSE Assyria p. 104—114. Animalia illa, quae saepissime quidem in portis palatiorum constituta, verum alias quoque reperiuntur, cum aliis belluis s. cum hominibus dimicantia (cfr. GOSSE l. l.), quemadmodum apud Hebraeos Cherubini summas ingenii et corporis vires coniunctas significare videntur. Ceterum quanto maior intercedat similitudo inter Cherubinos et Assyriorum species illas, quam cum Aegyptiorum sphingibus (cfr. HENGSTB. Aeg. u. d. Bücher Mosis p. 160—164), inde statim apparet, quod Aegyptiae belluae numquam fere alis ornatae sunt; rara exempla nonnulla ab Assyriis repetita videntur, cfr. LAY. ibid. Praeterea etiam palmae et flores istae, bovesque et leones, quorum imaginibus Salomo templi muros exornavit (cfr. 1 Reg. VI, 32 ss. VII, 29 ss.), mire concinunt cum eiusmodi apparatu haud raro apud Assyrios reperto, cfr. LAY. fig. 31, a. b. Neque vero probari ullo modo potest, alteras species ab alteris esse delibatas. Quare, nisi forte BONOM. secutus Paradisi memoriam in omnium gentium eiusmodi animalibus reperiri existimaveris, tutius NEUMANNIO assentiemur, qui consimiles cogitationes atque notiones symbolicas simili ratione conformatas esse docet, GUER. et RUDELBACH. Zeitschr. 1853, I, p. 137 ss.

2) Cfr. BON. l. l. p. 134.

3) Cfr. Nah. III, 4.

et fortiores subiugarent[1]. Quas artes egregie perstrinxit Hoseas, cum Assyriorum regem appellaret מֶלֶךְ יָרֵב, rex „altercabitur.“[2] Quam autem perfide et malitiose egerint erga populos, cum quibus conflictaverunt, satis superque experti sunt Iudaei a Tiglath Pilesere maximeque a Sanheribo[3]. Et simulac hostes aliquos superaverunt, tum ad internecionem usque cum immani crudelitate eos excruciabant[4], quo in genere haud raro universum populum in alias deduxerunt regiones, ne umquam suis legibus vivere ne conari quidem possent[5].

Quae agendi ratio quantopere ad munera a deo iis iniuncta pertinuerit, clarius etiam intelligitur, ubi comparantur cum Aegyptiis. Est enim singularis necessitas quaedam atque similitudo, quae intercedit inter eam rationem, qua Israelitae cum Aegyptiis, et qua cum Assyriis continebantur. Ac de situ quidem et natura hoc primum monemus, quod propriae utriusque regni sedes convalles tenebant late patentes, modicis montibus inclusas et magnis fluminibus oceanum petentibus irrigatas, quae ad indolem eorum et fata magnopere pertinebant; tum vero terra sacra ita inter utrumque iacebat interiecta, ut faucium quodammodo portarumque gereret vices; quas qui tenebat, non solum firmo propugnaculo verum etiam receptaculo satis tuto videbatur instructus esse[6], id quod Sanheribi praesertim tempore luce clarius apparuit. Unde repetendum est, quod, ex quo Aegyptii et Assyrii mutua inter se commercia et consuetudinem iungere coeperunt[7],

---

1) Cfr. Moversii Phoenizier II, a, p. 378.

2) Cfr. Hos. V, 13. X, 6. De hac voce satis diversae vv. dd. exstiterunt sententiae. Certi cuiusdam regis nomen, cuius nullum usquam reperitur vestigium, vel ideo esse nequit, quod articulus deesse non deberet, quod iampridem Raschio exprobravit Livelеus; nec melius pro adiectivi forma habuerunt Symm., Aquila, Hieron., Tarnovius, ἔνδικος, vindex ct. Simpliciter explicatur tanquam altera species futuri a. v. רִיב, statui constructo v. מֶלֶךְ apposita, qua Assyrii regis indoles exprimatur. cfr. Gesen. thes. Simsonii comm. a. h. l.; neque vero statuenda est significatio dimicandi, verum altercandi, rixandi, quae longe usitatissima est, cfr. Gesen. thes. a. h. v.

3) Cfr. Caspari syr. ephr. Krieg p. 69.

4) Cfr. infra p. 129.

5) Cfr. pag. 107, ad III, 10.

6) Cfr. Schlosseri Universalhistorische Uebersicht I, p. 213. Hengstb. Bileam p. 261. Starkii Gaza p. 190. 191.

7) Eiusmodi consuetudinis vestigia maxime XVIIIvae et XXIIdae dy-

utriusque maxime deinceps intererat, ut Palaestinam vel foedere sibi adstrictam vel subiectam haberet imperio. Accedit, quod utraque gens universi quodammodo generis humani in se gerebat imaginem, Semitici generis et Iaphetitici simul et Hamitici, Aegyptii autem ad Hamiticam potissimum familiam, Assyrii ad Semiticam pertinebant[1]. Et cum Aegyptiacum regnum primum esset, cuius expositi arbitrio Israelitae secularis omnino potestatis experiebantur naturam, alterum autem idque gravissimum Assyrium, quoniam sequentium fere omnium radices comprehendebat et origines: satis ampla luce videmus collustrari, quod prophetae utriusque imagine haud raro utuntur ad exprimendam mundi speciem Deo simul et civitati eius inimici; eorum irritamentis sacra gens seducitur[2] primum, dein potentia et iugo vexantur atque opprimuntur[3]; porro, ubi hac poena satis apparent castigati, ab arbitrio eorum redimuntur[4]; postremo ipsi hostes illi una cum iis ad veram Domini religionem convertentur[5]. — At vero satis etiam utriusque populi ratio est diversa. Sicuti enim longe diversis temporibus alteri genti Israelitae fuerant subiecti, ita ab Aegyptiis illecebras potissimum et irritamenta rerum humanarum deinceps experiebantur, cum per Assyrios edocerentur, eum, qui peccatis seculi indulgeret, ipsius seculi potestate percelli atque contundi. Sic a primis populi initiis ad extrema usque Hierosolymorum fata Aegyptiorum semper illecebris et corruptelis obnoxii erant: in Aegypto vel Abrahamus ad peccata sedu-

---

nastiae aetate tam consimilibus regum nominibus quam artium indole all. deprehenditur in utriusque populi monumentis. cfr. LEPSII Chronolog. der Aeg. p. 223. LAY. Niniveh p. 297—302. 304. 394.

1) Aegyptii in tabula ethnologica Gen. X ab Hamitica familia repetuntur; trium autem naturarum signa satis luculenta in craniis et physiologico omnino eorum habitu conspiciuntur, cfr. MORTON Crania Aegyptiaca, Philadelphia 1844, p. 65. 66. PRUNER die Ueberbleibsel der altaegyptischen Raçe p. 14. 17; in Assyriorum autem natura Semitico generi Cuschiticum aliquid atque Arianum simul commistum fuisse, magis indies perspicitur. cfr. p. XXXV. XLI all.

2) Cfr. Hos. XII, 2 all.

3) Cfr. Ies. VII, 18. LII, 4.

4) Cfr. Hosea VII, 11. XI, 5. 11.

5) Cfr. Sach. X, 10. Indidem repetendum est, quod haud raro ambo inter se contenduntur, atque alterius fata atque exitium alteri tanquam exemplum proponuntur; cfr. Nahumi pericopam de Thebarum excidio, III, 8 ss., Ezech. XXXI. XXXII, 22 ss.

ctus est, Aegypti carnem et ollas desiderabant in deserto, speciosa Aegyptiorum irritamenta et foedera dolosa plus quam semel perniciem iis paraverunt[1]; contra ab Assyriis superbis illis atque ferocibus non tam seducebantur atque corrumpebantur, quam armorum vi et insidiis opprimebantur, conterebantur, pedibus conculcabantur[2]. Ergo indolem imperii Assyrii praeclare expressit Micha, cum Assyriam appellaret „terram Nimrodi" (V, 4), trucis venatoris illius coram Domino, quippe qui primus non bestias solum, verum homines gentesque venando superaverit[3] atque omnium tyrannorum perfectum in se gesserit typum atque imaginem. Sic Assyriorum quoque dominatio maxime digna videbatur, quae totius seculi per omnes aetates Deo adversantis vicibus fungeretur[4].

Iam vero, quoniam uberius explicavimus eam dignitatem, in qua regnum Assyrium constitutum erat, et qua ratione cum sacra gente continebatur, paucis perstringendum videtur, quonam modo ad summum potentiae cumulum pervenerit. Videmus autem res Assyriorum continuo fere progressu augeri, donec Sanherib funesta apud Hierosolyma accepta clade a fastigio deiectus est. Primus enim Phulus, Menachemi ut videtur lacessitus audacia, qui Thapsacum apud Euphratem sitam expugnavit[5], contra Israeliticum regnum movit castra, a. c. 762; donis tamen et tributo a Menachemo exhibitis, abstinuit ab expugnanda terra. Verum quoniam Palaestinae capiendae initium vel quasi praeludium factum videbatur, Tiglath Pileser[6], qui regnando

1) Cfr. Ies. XXXI, 1 all.

2) Cfr. ll. supra cc.

3) Cfr. Gen. X, 9. cfr. F. W. J. Schroeder, das erste Buch Mose, p. 225.

4) Cfr. Hos. VIII, 13. IX, 3. Mich. V, 5. VII, 12. 15 all.

5) Cfr. Keilium ad 2 Reg. XV, 19. Hoseae verbis perperam intellectis (V, 13. VII, 11. VIII, 9) fuerunt, qui temere coniicerent, Phulum a Menachemo advocatum esse; contra quem? affirmare non valent. Cfr. Hitzigii comm. ad Hos. Thenii comm. ad 2 Reg. l. l. In titulis ab eo rege qui ante Tiglath Pileserem regnavit, octavo anno (762) inscriptis Menachemi mentionem factam affirmat Rawlins., assentiente Hinksio, qui verba enucleavit: Minakhimmi Samarinaayi, cfr. Athen. Lond. 1852, Ian. 3, p. 26. Rawl. Outlines p. XXVI. Nomen regis nusquam luculenter expressum adhuc occurrit, videtur autem idem fuisse, quod Sardanapalo. cfr. ib.

6) Rawlinsonius Phulum veteris dynastiae extremum fuisse regem affirmat, et anno 747 Salmanassarem, qui aliquo in palatio regio fungebatur munere, seditione exorta rerum potitum esse. Diu enim laboravit v. d.

eum excepit, insanas Achasi preces libenter exaudivit, qui a Rezino, Damasci rege, et Pekah, Israelitarum principe, vehementer vexatus regis Assyrii auxilium imploravit a. 740, atque adeo effecit, ut ille Syro-Damasceno regno plane everso magnam

---

in elimanda ea difficultate, quod monumenta Khorsabadica, quae Salmanassaris nomen inscriptum habent, tam universo habitu quam singulis rebus permultis adeo differunt ab antiquioribus, Nimrude inventis illis, ut aut modicum temporis intervallum inter utraque videretur intercessisse, aut seditio quaedam et rerum omnium immutatio accidisse (cfr. RAWLINS. Comm. p. 55 ss. LAY. Nin. p. 256 ss.) quid? quod BON., versa vice, Khorsabadicum palatium longe vetustius reliquis esse argumentis permultis comprobasse sibi videtur (cfr. l. l. p. 301 ss.). Novissime titulis diligenter excussis eo se pervenisse docet RAWL., ut ab rege illo veterem familiam regno eiectam intelligeret; eoque referendum esse, quod maiores suos numquam nomine appellaret (cfr. LAY. p. 294). Possit quidem in huius sententiae favorem notari, ut nobis videtur, quod BEROSUS Euseb. Chron. p. 40 ab anno c. 1273 XLV reges Assyriorum computat, quibus ab a. 747 ad a. 625 8 reges et ipsos Assyrios addit (cfr. BRANDIS. l. l. d. 17). Tum vero RAWL. cum confidentia et certitudine eo insistit, ut Salmanassarem non solum eundem fuisse ac Sargonem (Ies. XX, 1), verum etiam ac Tiglath Pilesarem existimemus. „In the former of these titles," inquit (Outl. p. XXVII Tiglath (Tilgath in Chronicles, and Τάγλαϑ in the LXX) is a corruption of Tarkat or Targat, the goddess Derceto or Atargatis. Pil from פלח, „to worship," and Eser is the god Assur; a title formed of these precise Assyrian elements being the standard epithet of Sargina in all his inscriptions; while Shalmaneser is probably for Shalman the Assyrian (Hos. X, 14), Sallam Anu, „the likeness of Anu" (?) being also the second of Sargina's titles." Ac Sargonem quidem s. Sargina eundem esse ac Salmanassarem, Khorsabadici palatii conditorem, iam pridem contendit ille, cfr. Athen. Lond. 1851, No. 1243, p. 903, idque veri non dissimile esse, imo difficultatem illam, quod nusquam huius regis alia praeterea memoria deprehenditur, optime ita expediri, dudum intellexerunt VITRINGA, OFFERHAUSIUS, EICHHORN., MOVERS., DRECHSLER all.; nam ut cum Sanheribo eundem fuisse opinemur, non movere nos potest, quod idem utriusque dux nominatur, Tartan (cfr. Ies. XX, 1. 2 Reg. XVIII, 7) cfr. KEIL. p. 461, quoniam id nomen non minus dignitatem indicasse videtur quam Rabsake et Rabsaris, cfr. BON. l. l. p. 41. 149. 152 all. Alteram autem sententiam suam RAWL. eo sibi videtur fulcire, quod in libb. Paralipp. Salmanassaris nomen non legitur; et vero in ll. Regg. de utroque dictum legimus, cfr. 2 Reg. XV, 29. XVIII, 9; dein Sanheribum quoque idem sibi nomen Tiglath Pilesaris imposuisse asseverat Outl. p. XXX. Licet vero numero regum et ordine e monumentis percepto haec sententia videatur commendari, tamen tribus nominibus eundem regem in ll. ss. nuncupari haud satis credibile existimamus, donec certiore titulorum cunea-

Israelitarum partem in Assyriam deduceret atque adeo Ephraimitici regni evertendi initia perpetraret, ipse autem imperata eius facere deberet, itaque Iudaea iugo et dominationi Assyriorum abhinc subiiceretur. Quo facto cum gravissimarum Asiae regionum imperio addendarum fundamenta faustissima iacta essent, haud difficile fuit Salmanassari his initiis instare, et deleta Samaria a. 722 in Phoenicia et Philistaea subigenda felici cum progressu elaborare[1]. At vero everso Ephraimitico regno, iniuncto sibi a Domino officio perfunctis haud multo etiam proficere licebat. Nihilominus, qui eum subsecutus est, Sanheribo videbatur evenire, ut universum orbem terrarum Assyrio Marti subiugaret. Iam enim praeter proprias Assyriae regiones Media, Armenia, Mesopotamia, Babylonia, Asiae minoris pars maxima[2], Damascus, Phoenicia, ne multa, ut ipse gloriatur „universae Asiae

---

torum interpretatione tale quid edoceamur. Ceterum rex Salman Hos. X, 14, qui Beth Arbel evertit, temere ab Ewaldo, Simsonio all. ad longe prius tempus reiicitur; nominis enim similitudo luce clarior est, nec Hoseae aetas magnopere obstare potest, quoniam teste titulo Hiskia etiam rege vaticinatus est. cfr. Haevern. Einl. II, 2. p. 282.

1) Cfr. Ies. XX, 1. Annales Sarginae, quoad nunc reperta atque enucleata sunt, quindecim tantum annorum gesta enarrant; unde repetendum est, quod de Samaria destructa nihil adhuc inventum est; commemoratur autem urbs illa quasi pratereundo, ubi de expeditione adversus Hamathem facta dicitur; praeterea in titulo quodam ab eodem rege, multo post ab Euphrate reverso, exarato leguntur verba: „Conqueror of the remote Iudaea," cfr. Rawl. Analysis of the Babylonian text at Behistun p. LXXXII. Outlines p. XXVIII.

2) Asiam minorem Assyriorum imperio subiectam fuisse, crebra probant monumenta eorum et inscriptiones, nec non oppidorum nomina Assyriam originem aperte ostendentia; de quibus diligenter disputavit Kiepertius, cfr. Weissenbornii lib. p. 32, not. 118; sic haud procul a Tarso, Assyriorum colonia illa (cfr. Berosi et Abydeni testimonia ap. Euseb. Chron. arm. p. 43. 53) reperitur vicus n. Nimrud, cfr. Barker Lares and Penates, or Cilicia and its Governors, Lond. 1853, p. 15. 115; tum vero in Cariae Lydiaeque confinio oppidum est Ninoe, de qua Steph. Byz.: *εἶτα ἀπὸ Νίνου Νινόη*. Veneris Assyriae imaginem, quae in monumentis Pteriae repertis expressa est, exhibet Layard. fig. 82. — Addendum est, in Cypro insula stelen inventam esse, quae Salmanassaris imaginem refert (cfr. Bon. l. l. p. 127 ss cfr. p. 194) eamque in museo regio Berolin. servari; eiusdem regis figura conspicitur in imaginibus una cum inscriptionibus in saxo haud procul a Beryto apud fluvium Nahar-el-Kelb expressis, de quibus cfr. Bon. p. 125 ss. all.

reges a Libano, qui est sub sole occidente ad inferiorem oceanum usque, qui est sub oriente sole (sinum Persicum)"[1] Assyriorum fuerunt; deerat Aegyptus et Aethiopia, deerat etiam, quo securius ad eas proferre possent arma, Iudaea ac praesertim Hierosolyma, caput rerum; his igitur bellum illaturus tertio regiminis anno[2], cum ingenti exercitu profectus est.

Phoenicia et Philistaea peragrata, apud oppidum Lachisch, meridiem et occidentem versus ab Hierosolymis situm, castra posuit. Atque Hiskias quidem, Iudaeorum rex, qui tributum quotannis solvendum abnegaverat[3], cum in summo periculo versaretur, contumaciam suam deprecatus imperata facere promisit, atque adeo triginta talenta auri et trecenta talenta argenti iubente rege tradidit[4]. At vero in eo acquiescere vix potuit Assyrius;

---

1) Cfr. RAWL. Outlines p. XXX.

2) Tertio regni anno Sanheribum in Iudaeam profectum esse, probe computavit EWALDUS Gesch. des Volkes Isr. III, a, p. 472 all.; ac revera de expeditione illa tertio anno instituta satis copiose ipse rex tradidit, quibus mirifice comprobantur, quae 2 Reg. XVIII, 13 ss. 2 Paralipp. XXXII, 1 ss. et Ies. XXXVI, 1 ss. leguntur. cfr. RAWL. Athen. Lond. 1851, No. 1243; Outlines p. XXXII ss. Idem annus XIV^{tus} fuit Hiskiae, 714, neque vero 712, uti existimat BRANDIS, Hierosolyma a. 586 eversa ratus, cum rectius ab a. 588 proficiscendum sit.

3) Cfr. 2 Reg. XVIII, 7.

4) Graviora sunt, quam quae videantur omittenda, quae Sanherib ipse de hac re tauris duobus, in atrio palatii Koyundjucensi positis, inscripsisse affirmatur a RAWLINSONIO, qui rerum sex annis primis ab eo gestarum memoriam, cuneis ibi expressam, brevius primum perstrinxit in Athen. Lond. 1851, No. 1243, p. 903, tum vero ad literam fere exhibuit in lib. Outlines ct. p. XXXI ss. Sic autem inter tertia anni gesta narratum legi asseverat: „.... and because Chazakijahu, king of Yahuda (cfr. Athen. l. l.) did not submit to my yoke, 46 of his strong fenced cities and innumerable smaller towns which depended on them, I took and plundered; but I left to him Ursalimma (cfr. ibid.), his capital city, and some of the inferior towns around it....... The cities which I had taken and plundered, I detained from the government of Chazakijahu, and distributed between the kings of Ashdod, Ascalon, Ekron, and Gazah; and having thus invaded the territory of these chiefs, I imposed on them a corresponding increase of tribute, over that to which they had formerly been subjected; and because Chazakijahu still continued to refuse to pay me homage, I attacked and carried away the whole population, fixed and nomade, which dwelled around Ursalimma, with 30 talents of gold and 300 talents of silver (sic typis expressum legitur in

nam ut cum Aegyptiis tuto posset confligere, Hierosolymorum praesidio uiti debebat; idque eo magis, cum Aegyptiorum exercitum, si fides habenda est annalibus ab ipso rege perscriptis, apud Lachischam iam superasset[1], et Thirrhaka, Aegyptiorum prin-

---

Athen. l. l.; altero loco habetur 800), the accumulated wealth of the nobles of Chazakijahu's court, and of their daughters, with the officers of his palace, men slaves and women slaves. I returned to Nineveh, and I accounted this spoil for the tribute which he refused to pay me.“ Quae, ubi detrahimus, quae ob vanam gloriae iactationem amplificata apparent, quantopere concinant cum 2 Reg. XVIII, v. 7. 13. 14. 15, luce clarius perspicitur. Ceterum videtur monendum, Rawlinsonium neque argumentorum pondere neque aliorum vv. dd. consensu carere, cum palatium Koyundjucense a Sanheribo conditum existimet et titulos ab illo ibi esse inscriptos, verum Layardum et Hinksium plane idem iudicare, sicuti Hinksius et ipse Sarginam novae dynastiae auctorem esse existimat. Mirifica autem ll. ss. comprobatio illa quomodo confirmetur, e nova monumentorum a Sanheribo conditorum collectione, quam typis iam excudi supra diximus pag. XXXIII. not., quaerendum erit.

1) Ita enim optime difficultas illa expediri nobis posse videtur, quae versatur in eventu vaticinii Ies. XX, v. 4—6. Praedicitur ibi secundum signum in nuda Iesaiae ambulatione propositum Aegyptum et Aethiopiam (quae sub eodem rege tunc coniunctae erant) ab Assyriis cum ignominia abductas fore in captivitatem, ita ut Iudaei (id quod caput rei est) in auxilio eorum frustra confiderent. Iam vero trium annorum notatio v. 3 certo ad Iesaiae signum referendum est; potest autem etiam ad Aegyptiorum cladem futuram simul pertinere. Iam vero in annalibus illis Sanheribi haec legimus: „The kings of Egypt also sent horsemen and footmen, belonging to the army of the king of Mirukha (Meroë or Aethiopia), of which the numbers could not be counted. In the neighbourhood of the city Allakhis (Lachish) I joined battle with them. The captains of the cohorts and the young men of the kings of Egypt, and the captains of the cohorts of the king of „Meroë,“ I put to the sword in the country of Lubana (Libnah).“ cfr. Rawl. Outlines p. XXXV. Quibus si fides omnino est habenda, vaticinium illud Iesaiae, cuius eventus nullus adhuc poterat probari (de l. Nah. III, 8 ss. cfr. infra p. 98 ss.) plane confectum est; nam Aegyptiorum copiis, quae primum advenerunt, fugatis, satis superque intelligere debebant Iudaei, ab illis auxilium sibi nullum exspectandum esse; et vel tempus praestitutum evenisse putandum esset, si forte Sargonis expeditio adversus Asdodum extremo Salmanassaris anno facta esset, cum III^io anno Sanherib Palaestinam intravit. Eoque magis comprobantur Rabsakis verba, qui Aegyptum dixit cannam quasi subfractam esse (הקנה הרצוץ); Tirrhakae autem iactationem illam (cfr. pag. 100) et Herodoti narrationem de fuga Assyriorum probe cum illis coniungi posse patet, modo reputemus, cladem Assyriis a Domino

ceps ex Aethiopia oriundus, cum recentibus copiis obviam ei appropinquaret[1]. Captis igitur Iudaeae locis munitis, Tartanem et Rabschaken, summum pincernam, et Rabsarim, principem eunuchorum[2], Hierosolyma misit, ut deditionem urbis exposcerent[3]; qui, cum Hiskias verbo divino per Iesaiam facto commonefactus constanter negasset, ad Sanheribum reversi, Libnam iam profectum invenerunt. Rex Hierosolyma versus castra movit. Iam igitur ad summum discrimen omnia undique vergebant: Iudaici regni extremus iam dies sine ulla dubitatione humanae rationi videbatur venisse: capta urbe, Assyrii ingenti praesidio, tota fere Asia, sublevati, haud multo labore Africam quoque gladio expedire posse putandi erant — at Dominus aliter constituerat. Una nocte maximam immensi exercitus partem ita perculit, ut, quo reliquias servaret, effusa fuga domum rediret mane, qui vespere etiam orbis terrarum dominus esse videbatur[4].

Summa hac omnipotentiae divinae manifestatione Assyrii a fastigio gloriae et potestatis subito deiecti sunt. Vix enim hanc acceperant cladem, cum Medi[5] deficerent, eosque Babylonii aliae-

---

inflictam esse, cum Tirrhaka cum maiore, ut videtur, exercitu appropinquaret.

1) Cfr. 2 Reg. XIX, 9.

2) De tribus muneribus illis cfr. BON. l. l. p. 149. 175. 181. 209. 335 all.

3) Quo loco Assyrii castra posuerunt, ante septentrionalem urbis partem, apud stagnum superius, unde urbs impugnari poterat, quoniam arte ibi facilius tantum nec natura munita erat — ei IOSEPHI etiam tempore nomen erat: castra Assyriorum (παρεμβολὴ τῶν Ἀσσυρίων) cfr. IOSEPHI de B. I. V, 7, 2; V, 12, 2. cfr. W. KRAFFT Topographie Ierusal. p. 139.

4) RAWL. Outl. p. XXXVII: „The events of the fourth year of Sennacherib present a marked contrast to the detailed and magniloquent descriptions of the preceding periods; they are confined to a few meagre lines, and refer exclusively to an expedition against the Chaldees" ct.; commemoratur praeterea, quod Merodachum Baladanum, quem primo dudum anno debellasset, iterum subiugasset. — Ceterum in enarranda hac quarti anni expeditione genus quoddam dicendi invenitur, quod satis magnopere similitudinem refert vv. Nah. III, 17: „My troops pursued him, but he flead away, and his place was not found," cfr. ונודד ולא נודע מקומו.

5) De tempore quo Medi defecerint, vv. dd. sententiae satis discrepant; ab aliis statuitur, a. 753 illud accidisse, e quibus nominamus NIEBUHRIUM, maximeque BRANDISIUM qui novissime hanc opinionem accurate defendit; aliis post cladem Sanheribi, a. 714 factum esse videtur, inter quos nuncupamus VITRINGAM, HUPFELDIUM, DUNCKERUM. Ac nobis quidem hoc

que gentes confestim sequerentur; ac licet Babylonios mox rursus pacaverint, et, qui Sanheribum regnando excepit, Assarhaddon Assyrii nominis honorem aliquantisper restituisse putandus sit: tamen fracta erat potentia eorum, ex quo atroces angeli

---

temporis momentum sine dubio tenendum esse videtur. 1) Primum enim Medos sub Tiglath Pilesare Assyriis subiectos etiam fuisse, dilucide apparet e ll. 2 Reg. XVII, 6. XVIII, 11. cfr. Ioseph. Ant. IX, 12, 3; nec minus Babylonios, quos Medorum seditionem et defectum secutos esse tradit Herodotus I, 95, cfr. 2 Reg. XVII, 24; quod autem de hoc loco monuit Brandisius, cum probabile esse asseveraret p. 53 l. l., reges Assyriorum „in Babylonios quoque expeditiones suscepisse eorumque agros quosdam, quamquam imperio ipso non subacto, in suam ditionem redegisse" — idem de alteris locis, ubi afferuntur עָרֵי מָדַי valere nequit; satis enim imprudenter egissent Assyrii, si in loca hostibus vix erepta inermes posuissent tanquam propugnacula; imo asportatio illa in Medorum oppida facta explicari vix potest, nisi Medis subiectis etiam atque pacatis. Ac si Merodach Baladanus iam contra Salmanassarem et Sanheribum antea bella movisse traditur in titulis cuneatis, non inde probatur, Babylonios fuisse liberos; post cladem autem Sanheribi seditionem eorum longe graviorem fuisse, commercia ostendunt, quae cum Hiskia inierunt. Cfr. etiam Berosi verba, Euseb. chr. arm. p. 42. 43. 2) Deinde Diodorus II, 32 Medos defecisse tradit Ol. XVII, 2, a. Ch. 711. 3) Iosephus autem Arch. X, 2, 1 eundem docet annum, quo Hiskia aegrotavit; verba eius haec sunt: *ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ συνέβη τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι*. Quod testimonium ut infringeret, Brandisius primum monet, *καταλυθῆναι* de everso regno valere; idque iure suo contendit; nam Medorum seditio revera evertendi imperii initium erat; tum vero Iosephi omnino errorem fuisse dicit, quod eo tempore Assyriorum regnum deletum existimaret, cum Manassen ab Assarhaddone, Babyloniorum et Chaldaeorum (Arch, X, 3, 2) neque vero Assyriorum rege asportatum traderet; haec autem appellatio eo referenda est, quod Assarhaddon primum Babyloniis rex impositus fuerat, postea demum Sanheribo patri sucessit tanquam rex Assyriorum. Ceterum, quando Ninus et Assyrium simul imperium eversum fuisset, non ignoravit Iosephus Arch. IX, 11, cum Nahumum Iothamo rege (758 — 742) de Nino vaticinatum esse traderet, CXV annos ante Ninum eversam, i. e. a. 627. 4) Herodotus Medos, posteaquam defecissent (I, 95. 130. 106. IV, 1), 128 + 28 annis suis legibus paruisse docet; quos annos, ubi a primo Cyri anno, qui Astyagis imperium evertit, retro reputamus, habemus 558 + 156 = 714; nam 28 annos illos, quibus Scythae dominarunt, addendos neque vero detrahendos censemus, cfr. Dunckeri Gesch. des Alterth. I, p. 387. Brandisius autem a primo Agronis Lydorum regis anno, 1221, profectus, quibus 52 Nini patris annos addit (cfr. l. l. p. 3), detractis 520 annis, quibus Assyrios Asiae dominium tenuisse tradit (I, 95), ad a. 753 pervenit (1221

Domini plagas fuerant experti, nec pristinum statum recuperare unquam valuerunt.

Iam vero Sanheribum, a duobus filiis Adrammelecho et Nergal-Scharezer atrociter interfectum, cum in aede dei sui Nisrochi s. Assaraci sacra faceret[1], secutus est Assarhaddon[2], vir strenuus et bellicosus, a. c. 698[3]. Qui posteaquam aliquamdiu in Ba-

+52 − 520 = 753); at vero incertum est, utrum Agron ille decimo Nini patris anno, an post mortem eius, qua post LII annorum regnum consumtus est, Lydiarum rerum potitus fuerit, cfr. HUPF. de rebb. Ass. p. 23. 5) Postremo nemo est quin intelligat, potentissimarum gentium defectum optime quadrare in eam conditionem, qua Assyriorum res post cladem illam in Iudaea acceptam continebantur, quam in a. c. 753, unde maximam Asiae occidentem spectantis partem summa cum potentia infestaverunt atque gradatim occupaverunt.

1) Cfr. Ies. XXXVII, 38. 2 Reg. XIX, 37. cfr. pag. XXIII not.

2) Nomen Assarhaddonis satis varia scriptura exaratum exhibetur; in ll. ss. legitur אֵסַר־חַדֹּון cfr. l. l.; in inscriptionibus notari Assur-akh-adana, RAWLINS. certum atque exploratum esse affirmat (cfr. Outl. p. XL. XLI. Tum vero Esr. IV, v. 10 coll. v. 2 appellatur in Samaritanorum literis ad regem Persarum datis Ósnappar, cfr. HENGSTB. Beitr. I, p. 178; BEROSUS (EUSEB. chr. arm. p. 44) exhibet Asordanium, ABYDENUS (ib. p. 53) Axerdim; postremo in Canone PTOLEMAEI Assaradinus et Apronadius eundem regem significare videntur. — Quae autem de rebus ab eo gestis tradita accepimus, perpauca sunt, neque ea quidem satis dubitationibus usque quaque vacua. cfr. SCHROEERI imperium Babylonis et Nini 1726, p. 207 ss. Accuratissime gesta eius exposuit KALINSK., vaticc. Nahumi et Chabak. ct. 1748, p. 75 — 119; at vero idoneam rerum rationem prorsus confudit atque implicavit; nam, ut omittamus multa eum intrudere huic tempori, quae eo non pertinent, v. c. Asdodi expugnationem Ies. XX praedictam, similitudine nominum seductus Assarhaddonem eundem fuisse opinatur ac Sardanapalum, sub quo Ninum eversam descripsit DIODORUS; quae sententia cum reapse satis superque refellatur, vix operae pretium est uberius eam vel explicare vel refutare. cfr. EICHHORN. Einleit. III, 5, p. 282 ss.

3) Rationes temporum a tertio Sanheribi anno ad eversam Ninum usque diversitate eorum, quae singuli scriptores tradiderunt, satis intricatae sunt; cfr. praeter ea, quae PETAVIUS, USSERIUS, DE VIGNOLIUS all. in hoc genere elaborarunt, GESEN. comm. in Ies. p. 999 ss. KEIL. Chronik p. 428. HAEVERN. Einl. II, a, 223. HUPFELD. de rebb. Ass. p. 53. DUNCKERI Gesch. I, p. 388. EWALDI Gesch. Isr. III, a, p. 373 ss. Neque ad certam earum cognitionem prius perventum erit, quam monumentorum inscriptiones et numeri fuerint explanati atque excussi. Nos eam secuti sumus computationem, quae secundum Canonis PTOLEMAEI et BEROSI calculos Assarhaddonem a. c. 698 ad regnum pervenisse, et c. 668 vel 667 obiisse existimat.

bylonios imperavit, ad quorum contumaciam compescendam regulus a patre constitutus erat, audita patris caede, confestim parricidas persecutus in montium Armeniacorum angustias compulit[1]; tum vero, rerum Assyriarum potitus, id potissimum meditabatur, ut regnum in pristinum potentiae gloriaeque statum restitueret. Et cum orientem versus Medorum respublica non idonea esse videretur, quam impugnaret atque in ditionem suam redigeret, eo magis occidentem petendum existimavit, ibique recuperanda, quae post funestum patris receptum defecerant. Atque adeo summi videbatur momenti esse, ut evacuatae Ephraimitarum sedes Assyriis colonis incolendae traderentur; quare a. c. 676, ut supra computando statuimus[2], e quinque gentibus, Babyloniis, Cuthaeis, Avaeis, Hemathitis, Sepharvaeis, idoneam multitudinem eo deduci iussit; facta autem occasione, Manassem Iudaeorum regem Babylonem a copiis eius asportatum vidimus, atque adeo extremo loco Iudaeos ab Assyriis esse vexatos. Eodem tempore quod Philistaeorum quoque urbes, tanquam gravissimum contra Aegyptios propugnaculum, recuperaverit, non dissimile veri esse videtur[3]; verum quod Aegyptum ipsam expugnaverit, uti tradidit Abydenus et ex monumentorum titulis nuper eruisse sibi videtur Rawlinsonius[4], nec temporum rationi

---

Ceterum non videtur omittendum, quod in annalibus Sanheribi a Rawlinsonio explicatis quarto illius anno (713), devicto Merodacho Baladano Assur Nadin filius Babyloniae praepositus esse fertur. cfr. Outl. p. XXXVIII.

1) Cfr. Ies. XXXVII, 38. cfr. Abyden. Euseb. chr. arm. p. 53.

2) Cfr. supra p. XXVII, not. 1.

3) Starkius in libro diligentissime composito „Gaza und die Philistaeische Küste" 1852, p. 204. 207 non solum Sanheribum verum etiam Assarhaddonem in Philistaeorum urbibus stationes perpetuo habuisse existimat, atque indidem Assyriorum copias Iudaeorum fines vexasse. At vero, quod ad Assarhaddonis aetatem attinet, idoneis argumentis ea sententia videtur carere; imo, nisi forte expeditio illa, quam in Aegyptum fecisse dicitur, amplioribus documentis aliquando comprobata fuerit, hoc tantum verisimile videtur, Assarhaddonis copias regiones vicinas infestavisse, cum colonos illos in Samariam deduxissent.

4) Abydenus (Euseb. chr. arm. p. 54) haec habet: „Axerdis autem Aegyptum partesque Syriae inferiores in suam potestatem redegit;" quibus quanta largienda sit fides, ostendit Niebuhr. kl. Schriften I, 206. Graviora sunt, si recte enucleata sunt a Rawlinsonio verba ex imagine leonis, reperti in palatio ab Assarhaddone aedificato apud vicum hod. Nebbi Yunus; ibi enim luculenter legi affirmat: „Esarhaddon, conqueror of

omnino convenit, et, donec certioribus comprobetur documentis, dubitandum erit.

Utcunque est, ea certe Assyriarum rerum conditio Assarhaddone regnante fuisse putanda est, ut non solum tremenda Iudaeis esset, verum etiam integra appellari posset[1]. At vero restitutio pristinae potestatis non solum manca erat ipsa, cum a Medis semper cavendum esset, verum etiam robur Assyriorum et nervi ultimo loco intensi fuisse videntur, antequam corruerent. Nam qui Assarhaddonem regnando exceperunt ab a. c. 668, sub iis cessare situ coepit imperium, donec, moribus magis magisque depravatis viribusque exhaustis, coniunctis Medorum atque Babyloniorum copiis succumberent. Earum autem rerum memoria ad eventum vaticinii pertinet, atque adeo paullo post paucis erit describenda.

Misraim and Cush," cfr. Athen. 1853, No. 1321 p. 228 (Febr. 19); verum, licet ea lectio comprobetur, nescio tamen an rex nimium sibi iactando arrogasse putandus sit, cum forte aliquam de Aegyptiis victoriam assecutus fuisset. Utcunque est, Thebarum expugnatio nullo modo ideo Assarhaddoni tribui potest. cfr. infra p. 100.

1) Cfr. Nah. I, 12. II, 12. 13. III, 15—17. coll. pag. XVI ss. Secundum monumentorum indicia RAWL. regem omnem terrarum tractum inter sinum Persicum et mare Caspium et Mediterraneum interiectum tenuisse asseverat. Ceterum non satis multae adhuc inscriptiones repertae sunt, quae de rebus ab eo gestis agant, sicuti de Manasse Babylonem abducto nihil hucusque inventum est. Ad indolem autem Assarhaddonis perspiciendam refert quod palatia vetusta Nimrudensia destruxit, et tabulis statuisque inde petitis usus est ad exornandam regiam, quam ipse Nimrude meridiem et occidentem versus aedificavit. cfr. RAWL. Outl. p XL.

CAPUT III.
DE VATICINIO NAHUMI.

§. 6. BREVIS ARGUMENTI PROPOSITIO.

Quoniam explicavimus, cuiusmodi fuerit rerum Iudaicarum et Assyriarum conditio, ad quam vatis pertinet oratio, paucis iam argumentum eius videtur perstringendum esse. Id quod facile in tres describitur partes, easdem illas, quas capitum divisione notatas a patribus accepimus; quae ita inter se continentur, ut primo capite universae iudicii de Nino exsequendi proponantur rationes, altero autem ipsius eversionis delineetur imago, tertio denique caussae excidii et certitudo et magnitudo explicentur.

Ac primum quidem, quoniam omne prophetarum sacrorum munus in lege versatur explicanda atque inculcanda, vates a summa legis, zelo Domini et energia[1], profectus v. 2, 3a, universam iudicii divini naturam, et quid ab eo homines et rerum natura omnino patiantur, luculentissima imagine perstringit v. 3b – 6; tum, quid inde maneat regni divini cives, quid hostes eius, uberius docet v. 7 – 11: Dominus enim, qui zelotypus est, idem bonus est, atque adeo Iudaeos et quicunque suam in eo fiduciam collocare valent, eos ab oppressoribus vindicat; hostes autem omnes maximeque Assyrios, funditus evertit. Itaque statutum dei consilium de exstinguendis Assyriis et Israele liberanda brevi sententia declaratur v. 12 – 14.

Vix autem enuntiato Domini iussu, confestim tremenda simul et laetanda species animo eius atque oculis offertur. Exercitu enim praeclaro a Domino ad vindicandam Israelis dignitatem excitato cap. II, v. 1 – 5, Ninum expugnari primum, deinde homi-

1) Cfr. Exod. XX, 5. Deut. V, 9.

nibus et divitiis evacuari conspicit v. 6 – 11, atque adeo magnificentissimam urbem destructam iacere atque desolatam v. 12 – 14. Atque in ea specie describenda ita versatur, ut, quemadmodum primi capitis initio ad fontem iudicii et fundamentum omnia revocavit, ita finem hic praestitutum praefigat, quo, quae sequantur, sint referanda: Israelis enim liberandae caussa tanta clades infligitur Assyriis, qui frustra refragantur, cum ipse Dominus scelera erga gentem suam commissa sit ulturus.

Tum vero, defixis in atrocem imaginem ingenii oculis, caussas primum affert, unde excidium urbis repetendum sit, cap. III, v. 1–7. Fieri enim nequit, quin truces sicarii caedantur, v. 1 – 3, meretrix autem, quae praestigiis suis gentes perdidit, ignominia et tetra denudatione puniatur v. 4–7. Ac ne quis concludendo illam cladem coniici et tam potentem gentem haud ita facile debellari opinetur, Thebarum exemplo proposito v. 8 – 10, ostendit, homunculorum praesidia et fortitudinem Domino adversante pro nihilo esse v. 11 – 13. Imo, quanto potentia illi et opibus et numero videantur pollere, tanto immensiorem tantoque atrociorem fore cladem praedicit v. 14 – 17, ita ut ob ingens imperium funditus deletum universum humanum genus exsultet atque laetetur, v. 18. 19.

Quae cum ita sint, unam eamque integram orationem toto libro comprehendi intelligimus, quemadmodum praefixa in titulo verba dilucide monent. Neque vero EWALDI sequenda ratio videtur, qui ita argumentum distribuit, ut octo particulis quinos fere versus continentibus vaticinium absolvi existimet; nec primum alterius capitis enuntiatum primo capiti addendum censemus, uti e veteribus non paucis placuit; idonea enim sententiarum dispositio, quam proposuisse nobis videmur, externis etiam notis confirmatur, e quibus praeter simillimam cc. I et II oeconomiam (5. 5. 3; 5. 6. 3.) unum illud afferimus לא יזרע עוד I, 14, quod resonat fere in vv. לא ישמע עוד II, 14.

§. 7. DE INDOLE VATICINII.

Quod si Iudaeis liberationem ab Assyriis futuram, his autem interitum prope instantem vidimus nuntiari, praeclarae iam vaticiniorum ab aliis antea editorum coronae cumulum adiici apparet. Est enim commune illud vatum, qui per Assyriam, quam

aiunt, aetatem vaticinabantur [1], quod decem quidem tribubus internecionem ab Assyriis comparandam, Iudaico autem regno angustias tantummodo et tribulationes cum magnificentissima ab iis liberatione futuras praedicant, quo facto ipsi Assyrii a summo potentiae fastigio subito deiecti exstinguerentur atque delerentur. Quo in genere posteaquam HOSEAS diversam utriusque regni rationem significavit et iudicii ministros, nullo fere ipsorum habito respectu, nuncupavit [2], IOËL, qui universae prophetiae brevem quodammodo exhibet conspectum [3], universi iudicii specie proposita Israelis simul punitionem et hostium a septentrione ingruentium interitum comprehendit [4]. AMOS deinde hostium non immensas omnino catervas vidit, sicuti Ioël, verum certam populi speciem, longe remoti cuiusdam et ferocissimi, cuius tamen nomen ignorat [5]. Tum vero IESAIAS ingenti Assyriorum potentia Israelem omnesque fere gentes superatas conspicit atque trucidatas, divina autem omnipotentia, quae tueatur Iudaeos, ipsos frangi atque contundi; et quae singulis fere numeris divino elatus spiritu praedixerat, ea suis ipse oculis splendidissime evenire, et si non confici, tamen eventum eorum plenum iamiam incipere vidit [6]. Eodem tempore MICHA Iudaeos erga Dominum contumaces fore ut Babyloniam aliquando abducerentur [7], ab Assyriis

---

1) Copiose et luculenter de indole et ratione ll. propheticorum, qui Assyria aetate conscripti sunt, disputavit CASPARIUS, über Micha p. 66 —74 nott.

2) Cfr. Hos. I, 6. 7. — VIII, 13. IX, 3. 6. XI, 5 all.

3) Apposite CASP. l. l. p. 70 asseverat: „Ioel's Buch ist, so zu sagen, das Programm der Propheten der assyrischen Zeit, ja der gesammten Prophetie.“

4) Cfr. Ioël II, 19—22.

5) Cfr. Am. VI, 14. V, 27.

6) Cfr. Ies. X, 5—34. XIV, 24—27. XVII, 13. 14. XXIII, 13. XXX, 31—33. XXXI, 8. 9. XXXIII, 1. XXXVI, XXXVII (v. 7. 22—38).

7) Posteaquam iamdudum fuerunt inventi, qui Mich. I, 8—16. II, 4. 10. III, 12, ac praesertim IV, 9 asportationem Iudaeis ab Assyriis, non a Babyloniis futuram praedici opinarentur, novissime CASPARIUS l. l. p. 159 —183 eandem sententiam accuratissime defendit; licet autem permulta egregie exposuisse dicendus sit, tamen argumenta eius magnopere censemus improbanda, praesertim cum idoneae vaticiniorum rationi atque auctoritati officere videantur; imo quae contra suam sententiam moneri quidem posse ait, sed refutare conatus est, ea fortiter sustentanda existimamus. Prius vero quam disputationem eius examinemus, notandum videtur, quod

autem, quorum indolem et naturam egregie perstrinxit, gloriose liberarentur, aequales suos edocuit. Denique cum extremam Iudaei ab Assyriis paterentur calamitatem, NAHUM integro libello, divino instinctus ingenio et vigore, omnia secularis potestatis

---

cum IV, 8 vatem de iis dicere contendat, quae extremis diebus fierent, temere v. 9. 10 de eo valere asseverat, quae confestim evenirent (p. 156); nobis enim certa quaedam temporis nota frustra in illa IV[ti] cap. parte quaeri videtur, verum futurae omnino res Israelitarum adumbrari, quae utrum serius an ocius fierent, non refert (cfr. Ies. VI). I) Iam vero primo loco v. dd. nihil esse docet, quod tale quid ei improbretur: „si ll. ll. exsilium ab Assyriis parandum praediceretur, vaticinium non esse confectum;" non omnia enim oracula debere evenire (p. 160). Videamus autem, quidnam in hoc genere lege prophetica constitutum sit, Deut. XVIII. Ibi enim expressis verbis eventum vaticinii tanquam certum verae prophetiae criterium propositum legimus, v. 20. 21; quae vaticinia non evenirent, ea a Domino non esse profecta. Ab hac norma atque regula si quid forte videtur excipiendum, documentis satis validis atque efficacibus comprobetur oportet; idque eo magis, cum literis perscriptam prophetiam atque historiam habeamus, ubi tam grave aliquid debet notatum esse; nam, si verum esset, quod asseverat KOESTERUS (die Proph. d. A. u. N. B. p. 227), omnium omnino V. T. vaticiniorum eventum a moribus hominum suspendendum esse, cuiusvis homuncionis praestigiis Israelitae fuissent obnoxii, nec sacrum prophetarum a Deo instinctorum munus a quibusvis mendaciis probe potuissent distinguere. Neque vero a) iure improbrari nobis videtur Ier. XVIII, 5—10; nam, quae ibi docentur, ea fieri quidem posse dicuntur, at numquam facta sunt cfr. v. 13 ss.; neque valere possunt nisi de iis vaticiniis, quae adiecta statim conditione enuntiata sunt, cfr. Ierem. XXVI, 13, et saepissime in Deut.; b) porro vel ea, quae affixa conditione praedicta sunt, non posse nisi seria totius populi conversione commutari, ipse CASP. probe docuit Beitrr. I, p. 96 ss.; at Mich. p. 164, 165 poenitentiam, post Michaeae praedicationem a Iudaeis praestitam, futilem fuisse ostendit; ergo paullo post minitata illa transportatio ab Assyriis futura debebat evenire — cum e contrario splendidissime Iudaei ab illis liberarentur!! c) tum vero exempla illa, quae affert v. dd., poenas absolute decretas nullo modo ostendunt sublatas esse; nam Assyriorum poenitentia Ionae vaticinium secuta, III, v. 5—10, cogitari probe nequit, nisi ab ipso vate iussa et praescripta, cfr. v. 10, ita ut conditio, ex qua interitus Nini pendebat, ex iis videatur elicienda, quae populus ad evertendam internecionem praestitit; reliquis autem exemplis 1 Parall. XII, 5—8. 1 Reg. XXI, 29. 2 Reg. XXII, 15—20 ipse CASP. poenae eventum procrastinatum, non sublatum concedit. — Quare si Michaeae vaticinium IV, v. 9. 10 editum, quo Iudaeos per Assyrios Babylonem abductum iri praedixisset, existimandum esset eventu destitutum, aliquo ll. ss. loco tale quid notatum et argumentis comprobatum esse

scelera et flagitia complexus, atrocem Nini interitum propediem instantem illum praestantissimo stilo descripsit. Nahumi autem vaticinium non huius tantum propheticae praedicationis partis verum omnium oraculorum Assyria aetate editorum agmen egre-

---

deberet; eiusmodi autem nusquam quidquam invenitur; nam Ier. XXVI, 18. 19, quibus verbis nititur v. dd., vatis vv. III, 12 enuntiata non confestim evenisse legitur, neque vero, vv. IV, 9. 10, quae ad aliam libri particulam pertinent, omnino carere eventu. — II) Non minore loco habendum est, quod, ubi Casparii probetur sententia, Michaeae vaticinium graviter discrepare videatur cum Iesaia, quocum non aetatis solum et muneris, verum etiam familiaritatis et consuetudinis vinculo secundum singularem utriusque libri concentum coniunctus fuisse putandus est. Is enim eodem tempore non semel verum saepius et uberrime ab Assyriis angustias tantum Iudaeis instare declarat, illos in ipsa terra sacra ad internecionem fere concussos fore (cfr. ll. supra ll., Casp. p. 174), a Babyloniis autem reipublicae interitum imminere docet ex. gr. c. XIII, XIV et XXXIX, cuius fundamento universa altera eius libri, quae dicitur, pars imposita est. Casp. quidem Michaeae vaticinium ante Ies. c. XXVIII — XXXII editum esse coniicit, atque adeo, temporis ratione mutata, vaticinia quoque commutata esse; at vero X mum certe Iesaiae caput etiam prius quam Michaeae verba illa enuntiatum est! ergo eundem Domini spiritum per Iesaiae et per Michaeae ingenium locutum adeo non secum constantem fuisse putemus, ut modo ab Assyriis calamitatem primum Iudaeis tum vero gloriosissimam redemtionem, modo exsilium et internecionem, modo a Babyloniis idem instare paucis annis interpositis declararet? Minime vero. III) Accedit, quod, etiamsi Babylon, uti probe demonstravit Casp., eo tempore Assyriis subiecta fuerit, vix tamen Iudaei, cum Babylone sibi exsilium parari audirent, ab Assyriis hoc sibi instare opinabantur, nisi aperte erat notatum; nam pro ea ratione, qua Israelitae cum gentibus continebantur, non de urbe quadam et loco agebatur, quo abducerentur, sed de certa quadam gente, qua punirentur; ideo enim gentium ferocitate et ludibrio vexantur, quoniam gentium irritamentis et peccatis indulserant. Quo adde, quod eo tempore Babylonios defectum iamiam molitos esse vidimus.

Quae cum ita sint, sententiam illam prorsus irritam esse, facile intelligitur; reiectis autem argumentis, quae iam refutasse videmur, corruunt simul, quae praeterea disputavit Casp. p. 175 ss.; nam quid fuerit, quod V, 4. 5 Assyrii tanquam summa hostium regni divini species et imago inducantur, satis apparet ex iis, quae supra exposuimus de gravissimo loco, in quo inter hostes Israelis constituti erant, cfr. p L ss.; tum vero Ies. XIII, XIV eandem exhibet rationem; a futuris enim populi hostibus vates ad gravissimos illos revertitur, a quibus praesenti tempore vexabantur. Postremo hoc etiam notasse velimus, haud probe Casparium asseverare p. 180, si antea non evenisset vaticinium, id certe inde redundasse,

gie claudit. Corollarii quodammodo loco, qui Chaldaici temporis secundum tenet locum, ZEPHANIAH [1] breve et succinctum de Nino addidit vaticinium, quod, cum oppugnatio urbis iam coepta esset, ne humanae quidem dubitationi ullam relinquit ansam. Postremo EZECHIEL [2] immensam tanti imperii ruinam praeclara similitudine deploravit et tanquam atrox omnipotentiae divinae proposuit exemplum.

Quare cum caput argumenti cum aliis vaticiniis Nahumo videamus commune esse, singularis tamen oraculi ratio atque peculiaris in eo primum conspicitur, quod Assyriorum interitui describendo plurimum tribuit, redemtionem Iudaeorum paucis tantum declarat [3], atque adeo satis luculenter ostendit salutis notionem in V. To maxime positam esse in securitate ab hostibus adipiscenda. Neque vero secundum Nahumi doctrinam, qualem in uno hoc libello habemus expressam, Israelis salus et redemtio ad summum finem suum simulque cumulum vergit, qui in Messia positus est: nihil enim in vaticinio eius deprehenditur, quod probe appellari posset Messianum: negari tamen nequit, non prima tantum alterius capitis verba [4], verum totius oraculi quasi summam, eversionem imperii secularis atque gentis sacrae liberationem et restitutionem, in Christo demum eiusque regno absolvi et cumulari. Tum vero sicuti a zelo Domini et energia proficiscitur I, 2, quae peccatorem non dimittat insontem, ita per omne vaticinium talionis divinae et retributionis declaratio vel latitans quodammodo sub superficie, vel apertius expressa deprehenditur, id quod in singulis deinceps locis explicandis ostendimus. Ac sicuti in describendo zeli divini ardore versatur, ita oratio eius ipsa igne quodammodo et flammis flagrare videtur; apposite enim LOWTHIUS [5] stilum eius his perstrinxit verbis: „ex omnibus minoribus prophetis nemo videtur aequare sublimitatem, ardorem, et audaces spiritus Nahumi;“ nec non assentimus KREENENIO, qui,

---

ut Iudaei Manasse regnante in atrocissima peccata reversi minas illas iam eventuras pertimescerent: eodem enim tempore Nahum ipsis Assyriis interitum instare, Iudaeis autem salutem et redemtionem affirmavit.

1) Cfr. Zeph. II, 13 — 15.

2) Cfr. Ezech. XXXI. XXXII, 22 ss.

3) Cfr. HAEVERNICKII Vorll. über die Theol. des A. T. p. 160.

4) Cfr. p. 48. 51.

5) Cfr. LOWTH. de sacra poësi Hebrr. §. 281.

posteaquam insignem stili poetici et sublimitatem et ornatum et summam etiam, quae in oculos incurrit, dictionis puritatem laudavit, „etsi Iesaiae,“ inquit, „non plane neque ab omni parte aequalis, huic tamen ipsi, non dicam in his virtutibus aequalis, sed certo non multo inferior esse videtur.“

Fervidum hoc atque igneum vatis ingenium maxime omnium perspexit Umbreitius atque disertis verbis descripsit. Est enim ingens Nahumi vis et vigor in dicendo; neque intelligi potest, quid fuerit quod Ewaldus (ob aetatem forsitan vatis perperam definitam) ita iudicaverit: „man findet bei diesem schon zu den späteren gehörenden Propheten nicht mehr so viel innere Kraft und reine Gedankenfülle; manches wiederholt sich hier bereits aus älteren Aussprüchen.“ Habet autem dicendi genus, licet satis elegans sit, austerum aliquid atque severum, nec puritas orationis et brevitas Iesaianam, quam aiunt, scriptorum Hebraeorum aetatem minus olet quam genuina sententiarum ipsique propria ratio, quae, licet aliorum interdum referantur enuntiata, longe diversa est ab eorum libris, qui Ieremiae vatis aetate vaticinati sunt. Satis deinde ornata apparet oratio similitudinibus audacter institutis, modo brevius indigitatis, modo fusius explicatis[1]; quo adde sententias praeclara vicissitudine inter se variatas atque oppositas, nominum numeros et genera celeriter saepeque immutata; praeter cetera autem egregia paranomasiarum et verborum inter se assonantium copia[2] distinguitur, nec non vocum sonitus ad sententiarum naturam haud raro mirifice expressi ornatum et venustatem dictionis amplificant. — Tum vero non universum solum vaticinium suo ordine probe dispositum est, verum singulae etiam orationis partes secundum sententiarum indolem et varietatem subtiliter paene atque artificiose numeris descriptae exhibentur; quo in genere primi potissimum capitis priores duae partes egregium praebent exemplum. Utraque enim quinque ver-

---

1) Cfr. II, v. 12. 13. III, v. 15—17.

2) Cfr. I, 3 בסופה ובשערה; 6: הצורים נתצו — נתכה; tum vero v. 10 כי עד־סירים וגו; II, 2 נצור מצורה; v. 3 בקקום בקקים; cfr. etiam Iesaia praestantius illud בוקה ומבוקה ומבלקה v. 11; III, 2 מרכבה מרקדה all. Huic dicendi ornatui e Nahumo aliisque libris non solum conquirendo verum germanicis etiam verbis, quantum fieri posset, reddendo operam permultam navavit Hoelemannus in comm. et praemissa praefatione.

sibus absolvitur; prima autem stropha, qua tremenda Domini iudicium exsequentis species adumbratur, bipartita deinceps habet versuum membra, duobus vel tribus quatuorve verbis certo quodam ordine composita; altera autem stropha, quae bonitatem dei et clementiam addit, qua per hostium interitum eos redimit atque salvat, qui ei confidunt, longe diversam exhibet imaginem: nam, quasi effusus undarum cursus cohibeatur, alterum tantummodo cuiusque versus membrum s. Sakeph partitum est, et numerus etiam verborum minor est, excepto 9no versu, qui ad prioris particulae naturam vergit[1]. — At vero, licet eiusmodi in dicendo ars haud multis prophetarum exemplis videatur aequari, nimium tamen viderunt maximeque erraront LOWTHIUS, GREVIUS[2] all., qui perfectam carminis rationem indagari posse contenderunt; qui in diiudicanda vaticinii forma eodem vitio laborant, quo omnes fere prophetarum interpretes, qui exeunte s. XVIII^{vo} scripserunt, ab idonea argumenti aestimatione impediti erant: eo nempe, quod propria et peculiari visionum et propheticae orationis natura neglecta ad carminum rationem referebant, quae ab oratorio dicendi genere suspendenda sunt. Licet enim numerus et rhythmus multaque alia communia sint poesi atque prophetiae, tamen quantopere a carminum habitu et forma prophetica distet oratio, luculentissime ostendunt poemata vaticiniis inserta, veluti Ion. c. II. Ies. c. XXXVIII. Hab. c. III.

Ceterum universa evertendae Nini descriptio, etiamsi adeo ornata sit atque ad vivum expressa, ut ingentem cladem non solum cernere oculis verum raucos etiam plagarum inflictarum et armorum concussorum clangores auribus nobis videamur percipere[3], tamen habet simul secretum aliquid atque obscurum: id

---

1) Cfr. p. 22. 23.

2) LOWTHIUS l. l. asseverat: „adde quod eius vaticinium integrum ac iustum est poëma; exordium magnificum est et plane augustum, ct.“ Plura etiam eaque satis singularia vidit GREVIUS, qui (comm. p. 30) exordium ex versibus iambicis dimetris acatalecticis et catalecticis alternatim compositum esse existimat; carmina autem duo, quae praeterea in vaticinio discernenda docet, trimetris iambicis composita esse. Versus autem, in quibus definiendis longe recedit a partitione Masorethica, secundum tractatum suum de numeris Hebraeorum poeticis editum, ut praestitutis metris illis adaptaret, non vocales tantum verborum verum ipsa verba adeo immutavit, vix ut interdum Nahumi vaticinia te legere opineris.

3) Cfr. ad I, 10. III, 2.

quod inde repetendum est, quod nullo ne verbo quidem significatur, a quibusnam gentibus tanto imperio excidium pararetur. Eas autem Babylonios atque Medos esse inter se consociatos, tam e Iesaiae[1] et Habakuki[2] verbis quam ex eventu colligere licet: ad quem paucis iam absolvendum aggrediamur.

§. 8. DE EVENTU VATICINII.

Enuntiato Nahumi vaticinio quomodo paullatim ad eventum res deductae fuerint ut suo ordine proponamus, primum revertendum nobis memoria est in eam conditionem, in qua Iudaeos versatos fuisse ostendimus, cum Manasse rex vinctus Babylone teneretur; quo facto laetissimum vaticinii conficiendi initium atque pignus quoddam in reditu regis positum fuisse intelligemus; nam cum rex ab Assyriorum vinculis, populus ab exsilio summa cum sollicitudine exspectato appareret liberatus, haud temere sperabant fore ut ab omni eorum dominatione mox vindicarentur.

Vix autem quadraginta annis praeterlapsis luculentius eventuri oraculi signum oblatum est, cum Phraortes, Medorum rex, a. c. 635 Ninum obsideret. Nam qui Assarhaddonem secuti sunt Assyriorum reges, non solum a dilatandis regni finibus verum etiam conservandis videntur abstinuisse; nihil enim praeter nomina de iis traditum est, neque ea quidem scriptorum consensu comprobata: nam ALEXANDER POLYHISTOR[3] post Asordanium Sammugem eiusque fratrem 42 annis regnasse tradit, donec Nabopolassar ad regnum perveniret; in canone PTOLEMAEI idem annorum numerus Saosduchino et Cyniladano tribuitur, ABYDENUS[4] autem extremi Assyriorum regis nomen Saraci, alii Sarda-

---

1) Cfr. Ies. XXIII, 18: „En terra Chaldaeorum, haec est gens, quae non fuit hucusque (i. e. quae non suis legibus adhuc parebat), Assyria — tradidit eam incolis deserti, — ii turres suas erigunt ct.“ Hanc vexatissimi loci versionem unice probari posse, luculenter ostendit DELITZSCH. proll. ad Habak. p. XXI ss.

2) Cfr. I, 6. Quoniam in Habakuki vaticiniis Chaldaeis iudicia divina de gentibus exercendi munus tribuitur, iidem dei ministri apud Nahumum iure statuuntur. Quod a Chaldaeis everteretur Ninus, gravius erat prophetarum menti, quoniam destructis Assyriis summam illi inter gentes potentiam assecuti sunt. Medorum opera in ll. ss. non commemoratur, verum e veterum scriptis cognoscitur. v. infra.

3) Cfr. EUSEBII chron. arm. (4) p. 44.

4) Cfr. ibidem p. 54.

napali[1] nuncupant; vix autem dubium est, quin eorundem regum diversa illi nomina perscripsisse putandi sint[2]. Verum si quid accipi de illis potest, hoc est, quod luxuriae magis sese magisque dederunt[3], atque depravatis civium moribus regnum eo certius ad destinatum interitum conformaverunt. Nihilominus avitum Assyriorum robur nondum prorsus cesserat: Phraortis enim aggressum non solum propulsarunt moenibus verum ipsum quoque in pugna interfecerunt. Cuius necem ut ulcisceretur, Cyaxares filius a. 634 collectis copiis iterum petiit Ninum: at, dum cinctam obsessamque teneret, Scytharum incursione coactus est, ut patriam potius a novis hostibus illis defenderet; iis autem paullatim devictis, a. c. 609, iuncta cum Nabopolassare, Babyloniorum regulo ab Assyriis constituto, societate et familiaritate, exauctis magnopere viribus intermissum antea opus rursus suscepit; at tres per annos munitissimam urbem superare non valuerunt; donec vi et insidiis magnificentissimum potentissimi imperii caput expugnarent atque horrendo incendio cremarent.

Quod quo anno factum sit, haud inter vv. dd. exploratum esse constat; ab aliis enim anno 627 tribuitur, ex. gr. a IOSEPHO, ab aliis a. 625, inter quos nominamus KEILIUM; nostra memoria plurimis placet a. 606 s.; nec desunt, qui altius etiam descendendum rati vel intra a. 605 et 597 fluctuent veluti GESENIUS et HITZIGIUS, vel VOLNEIUM secuti in hoc termino consistendum esse existiment. Iam vero, licet satis impedita atque intricata sit quaestio, tamen idoneis argumentis videtur probari posse, quod

1) Cfr. CTESIAE memoriam apud DIODOR. II, 23. cfr. HUPFELD. exercitt. Herod. II, p. 49. BRANDIS. l. l. p. 33. Sunt qui plures uno Sardanapalo inter regum Assyriorum numerum inveniri existimant, HELLANICI fere et HESYCHII et CALLISTHENIS testimoniis sublevati, quorum postremus ἕνα dicit δραστήριον καὶ γενναῖον, ἄλλον δὲ μαλακόν. Quae sententia historicis quidem argumentis haud satis idoneis nititur, cfr. HUPFELD. exercitt. Her. I, p. 38. BRANDIS. l. l. p. 35 not.; RAWLINS. autem non solum Divanubarae patrem bellicosissimum regem et fortissimum, eo nomine insignitum esse opinatur, Assar-adan-pal (cfr. Comment. p. 21) vel Assur-akh-bal (cfr. Athen. Lond. 1852, 27 Mart.), verum idem nomen Phulo etiam et Sammugi, qui Assarhaddonem excepit, tribuendum esse existimat (cfr. Outlines p. XXIII. XXVI. XLII). Quae cuneorum interpretatio quomodo confirmetur, videndum est.

2) Cfr. HUPF. de rebb. Ass. p. 53. BRANDIS. l. l. p. 30 ss.

3) Cfr. HEROD. II, 150. DIODOR. II, 23. DUNCKERI Gesch. des Alterthums I, p. 397 ss.

anno 606 Ninus fuerit eversa [1]. 1) Tradit enim Alexander Polyhistor, Berosum secutus, Nabopolassarem [2] ducem ab extremo Assyriorum rege ad avertendum hostium quorundam aggressum Babylonem missum, icto cum Medis foedere et Astyagis eorum principis (i. e. Cyaxaris) [3] filia Nebucadnezari filio suo in matrimonium data, Ninum petiisse atque expugnasse. Iam quoniam secundum Ptolemaei canonem Nabopolassar Babyloniorum rebus ab a. 625 ad a. 604 usque praefuit, intra hoc temporis spatium quaestionis locus esse debet. 2) Legitur porro apud Herodotum [4], a Cyaxare Medorum rege, una cum Babyloniis, Ninum eversam esse; Cyaxarem autem, antequam Ninum iterum oppugnaret, non solum Scythas superasse verum Lydium etiam bellum a. 610 confecisse, necesse est; et quia Ctesia auctore tres per annos obsessa Ninus est donec caperetur, non prius potest quam a. 606 expugnata esse. 3) Neve serius aliquod temporis momentum statuamus, eo prohibemur, quod a. 605 vel 4 Nabopolassar propter senectutem et infirmitatem suam Nebucadnezari filio exercitum ducendum tradidit [5]; Nebucadnezar autem, cum eodem anno Nechonem, Aegypti regem, apud Circesium fugatum in Syriam persequeretur, de morte patris certior factus est [6]; neque vero in Syriam et Palaestinam profectus esse probe potuit, nisi Assyriis antea superatis [7]. Quo argumento eorum simul infringitur sententia, qui intra annos 606–597 vel serius etiam Ninum captam

---

1) Cfr. Clinton fasti Hellenici I, p. 269. Graffii Beitrr. z. ct. Gesch. der Ass. 1828, p. 11. Hupf. l. l. p. 7 ss. Delitzsch. proll. ad Habac. p. XVIII ss. Ewaldi Gesch. des V. J. III, p. 424. Lay. Niniveh u. s. Ueberr. p. 273. 296. Duncker. l. l. p. 393 ss. Rawlins. Outl. p. XLI. Brandis. l. l. p. 25.

2) Ad errorem Polyhistoris referendum videtur, quod Nebucadnezaris patrem a Beroso nominari prius affirmat Nabupalsarem, paullo post Sardanapallum Chaldaeum; cfr. Euseb. chron. arm. p. 44; quem errorem correxit Syncellus ed. Dind. I, 396. Eundem Abydenus Busalossoris nomine affert, cfr. Euseb. l. l.

3) Cfr. Brandis. l. l. p. 29, not. 1.

4) Cfr. Herod. I, 103. 106; Nini eversio extremo loco inter res a Cyaxare gestas affert; belli autem, quod ei cum Lydiis erat, finis solis defectu notatur, qui a. 610 accidit, cfr. I, 73. Ideleri Handb. d. Chronol. I, p. 209.

5) Cfr. Berosi verba a Iosepho laudata, Ant. X, 11.

6) Cfr. Ioseph. ibid., c. Apionem I, 19.

7) Cfr. Delitzsch. l. l.

esse docent[1]. Iam vero, qui ad a. 625 vel 626 recedendum existimant, id potissimum exprobrant nobis, quod Nabopolassar inde ab a. 625 tanquam Assyriorum princeps in canone PTOLEMAEI recensetur, sicuti luna etiam quarto eius anno, 621 defecisse ab eodem traditur[2]; quid est autem, quin per viginti fere annos satrapi vel reguli Assyrii munere Babylone functus esse putetur, donec parata seditione rerum ipse potiretur? Quibus autem in rebus HERODOTUM parum sibi constare ostendit KEILIUS[3], quo, quae ille tradidit, pro nihilo habenda appareret, eae ab HUPFELDIO et DUNCKERO[4] satis videntur compositae esse.

Iam vero quanam ratione Ninus capta sit et quae Sardanapalus rex passus fuerit, ea copiose e CTESIAE libris exscripsit DIODORUS[5]; ac licet Medorum et Babyloniorum principum alia exhibeat nomina, Arbacem dico et Belesyn, nonnullaque alia a reliquis scriptoribus videantur discrepare, vix tamen dubitari potest, quin de eadem expugnatione narraverit, et eo tantum erraverit, quod, quae ad Cyaxarem pertinent, ea ad primum omnino Medorum regem retulerit[6]. Nihil est igitur, quin omissis fabulis[7], quae Sardanapali memoriae admistae permultae sunt, narratione eius ad illustrandam Nini eversionem utamur, sicuti, quae Nahumi verba comprobare videantur, infra notata reperiuntur.

---

1) Cfr. GESEN. Hallische Literaturz. 1841, No. 1. HITZIGII proll. ad Nah.

2) Cfr. ALMAGEST. XIV, p. 125. — Addendus est huic sententiae patronus USSERIUS, qui ad a. 626 recedendum docet in annall.

3) Cfr. Comm. üb. die Bb. der Könige p. 589.

4) Cfr. HUPF. Exercitt. II, p. 51. DUNCKER. l. l. p. 391.

5) Cfr. DIODOR. II, 23—28.

6) Cfr. HUPF. Ex. I, p. 34 ss. DUNCKER. l. l. p. 395. BRANDIS. l. l. p. 35. Quorum ex disputatione satis superque apparet, quam temere KALINSKIUS l. l. res a CTESIA narratas ad Assarhaddonem pertinere existimaverit, alteram autem eamque ultimam Nini obsidionem sub Saraco a Cyaxare et Nabopolassare factam esse; quo unum hoc censemus addendum, quod ex omni vaticinii a Nahumo editi ratione alia quaedam expugnatio urbis statui nequit; eam enim, si quae fuisset, certo proposuisset exemplo, neque vero futuram illam Thebarum. Simul autem notamus, Nahumum, uti apposite iampridem affirmavit DELITZSCH. l. l. p. XIX, non primam Nini obsidionem a Cyaxare institutam spectare, uti placuit HITZIGIO, nec alteram, verum quae per utramque facta sunt, ea uno simul animi praesagientis conspectu comprehendit.

7) Cfr. O. MUELLER. Sandon u. Sardanapal, Rhein. Mus. III, p. 22 ss. MOVERS. Phoeniz. I, p. 458 ss. HUPF. Exerc. III, p. 37 ss. DUNCKER. l. l. p. 397 ss.

Quo facto cum potentissimum Assyriorum imperium una cum magnifica urbe funditus eversum esset, vaticinium Nahumi non confectum omnino atque absolutum est; ea enim cum plurimorum V. Ti vaticiniorum, tum eorum tenenda ratio est, quae de summis orbis terrarum regnis edita sunt, quod non eversa aliqua gente, verum universa demum mundana potestate destructa, humanis rebus finitis, ad plenum cumulatumque perducuntur eventum. Est enim eadem semper huius mundi potestas, quae modo hac modo illa gente, variisque deinceps regibus comprehenditur atque expressa refertur imagine. Ergo praedicta eius regni destructio, cui illo forte tempore summa de orbe terrarum potentia contigerat, iterum iterumque evenit, donec bellua ista [1], quae universam omnino potestatem divinae civitati inimicam in se gerit collectam et comprehensam, in igneum aliquando coniiciatur stagnum, et vere qui dicuntur Israelitae ab eius arbitrio et persecutione vindicati sint in secula seculorum.

§. 9. INTERPRETUM CONSPECTUS.

Restat, ut eorum nomina videantur recensenda, quorum libris in explicando Nahumi vaticinio usi sumus; id quod ita absolvemus, ut ex iis, qui vel universum V. T., vel XII prophetarum librum, vel solum Nahumi vaticinium versionibus et commentariis illustraverunt, gravissimum quemque et quos evolvendi facta nobis potestas fuerit, appellemus; qui amplum cumulatumque desiderant catalogum, eorum praesertim, qui Nahumo interpretando singularem operam navarunt, iis praeter CARPZOVIUM (Introd. I, p. 5 ss. III, p. 263 ss. 296 ss. 395 ss.) adeundi sunt ROSENMUELLERUS (Scholia in V. T. VII, p. 245 ss.) et IUSTIUS (Nahum neu übersetzt und erklärt. p. 12 ss.).

Ac primum quidem ut de versionibus veteribus dicamus, ALEXANDRINA (de qua cfr. quae nuper WICHELHAUS de Ieremiae versione Alexandrina p. 4–35, et THENIUS Comm. über die Bb. der Kön. p. XIII ss. disputaverunt) adeo mendosa est atque negligenter instituta, vix ut interdum interpretationem iuvare videatur; auctoritatis igitur quam dignitatis caussa saepius laudata est. Aliquis forte redundat usus e reliquis versionibus graeco sermone expressis, e quibus THEODOTIONIS illa LXX religiose

1) Cfr. Apoc. XIX, 20.

fere sequitur, AQUILA verba potius, SYMMACHUS sententias probe interpretari studuit. Chaldaica IONATHANIS paraphrasis, quae sensum copiosius fere descriptum exhibet, superatur Syriaca versione, quae PESCHITO vocatur, quippe quae textum hebraicum Alexandrina versione collata simpliciter et luculenter ut plurimum reddiderit (cfr. CREDNER de prophh. min. versione syriaca. 1827; WICHELHAUS de N. Ti versione syr.). Arabica interpretatio, quae in bibl. Polyglottis reperitur, raro quidquam intelligendis vatis verbis prodest.

Iam vero, ut ad patres pergamus, HIERONYMI, CYRILLI ALEXANDRINI, THEODORETI commentarii vv. dd. manibus teruntur. Ex iis, qui medio aevo prophetarum libros explicaverunt, afferendi sunt THEOPHYLACTUS, RUPERTUS TUITIENSIS, NICOLAUS LYRANUS. Inter Iudaeorum magistros nominandi sunt R. S. IARCHI, KIMCHIUS, ABEN ESRA, ABARBANEL (cuius comment. in Nah. rabbinico et latino sermone edidit SPRECHERUS 1703).

Post emendata sacra primo loco nuncupandus est LUTHERUS noster, qui medullas sententiarum ingeniose et egregie plerumque perspexit (cfr. opp. lat. Viteberg. IV, f. 613 – 621. ed. WALCH VI, p. 3041 ss.). Ex Lutheranis deinde interpretibus, qui s. XVII^{mo} scripserunt, praeter TARNOVIUM 1623 et CALOVIUM 1681 et Io. SCHMIDIUM 1687 in Nahumo explicando versati sunt

Io. QUISTORPIUS, Kriegspredigten, oder Erklärung des Propheten Nahum. Rostock. 1628. 4.

I. H. URSINUS, Hypomnemata in Obadiam et Nahum, Francof. 1652, 8.

Longe amplior eorum extitit opera, qui Reformatae ecclesiae addicti fuerunt s. XVI et XVII. Ac primum quidem

TH. BIBLIANDER (Buchmann), Propheta Nahum iuxta veritatem hebraicam ct. Tiguri 1534, 12 accurate pro sermonis hebraici, quae tum fuerat, cognitione, tam doctae interpretationi quam usui theologico eruendo operam dedit.

Tum vero post egregios CALVINI commentarios et interpretationes a IUNIO, TREMELLIO, PISCATORE exhibitas, afferimus

LUDOV. CROCII comm. in Nah. proph. Brem. 1620. 12. GUALTHERI homilias in XII proph. 1609.

MUNSTERI, VATABLI, CASTALIONIS, DRUSII, GROTII, CASAUBONI, Io. et L. CAPELLORUM notae tam in „Criticis sacris" 1695 editis quam in POLI synopsi criticorum 1694 reperiuntur collectae.

Romana etiam ecclesia aliquot iisdem seculis tulit interpretes, qui prophetarum minorum libros illustraverunt, veluti RIBERAM S. I., 1559, ARIAM MONTANUM 1582, CHR. A CASTRO S. I., 1615, G. SANCTIUM 1616; quo adde CORNELIUM A LAPIDE c. 1630, TIRINUM 1678, MENOCHIUM all. Quorum explicationes gravissimas collectas exhibuit ACKERMANNUS, proph. min. 1830.

Ingentis autem vv. dd. assiduitatis, quae initio seculi XVIII[ui] maxime vigebat, praestantissimum specimen praebet Io. MARCKII comm. in XII proph. min. 1701, edit. alt. ed. PFAFF. 1734, in quo omnium fere interpretum diversae de quoquo versu verboque sententiae proponuntur comprehensae, et COCCEII potissimum impugnantur opiniones; eandem fere instituti rationem secutus est I. H. MICHAELIS in bibll. Halensibus 1720, sua insuper sententia saepius explicata quam admisit MARCKIUS; utriusque enarrationes interpretationi fundamentum largiuntur egregium. Sequitur CALMETI opus, qui et ipse veterum potissimum theologorum placita conquisivit, et BURKII brevis et succinctus Gnomon, qui 1753 prodiit. Iam vero novam aetatem Nahumo interpretando conciliavit

I. G. KALINSKIUS, Vaticc. Chabacuci et Nahumi, itemque nonnulla Iesaiae, Michaeae et Ezechielis oracula observatt. hist.-philolog. illustrata ct. Vratislaviae 1748. 4.

Is enim primus intellexit, idoneam vaticiniorum explicationem ab explorata temporis historia debere proficisci, atque adeo in indagandis tam Iudaeorum quam Assyriorum rebus, quae ad Nahumi aetatem viderentur pertinere, assiduitatem collocavit egregiam. At vero duobus nominibus laudabile consilium dici vix potest quantopere absit ab exitu: primum enim, uti supra notavimus, nominum similitudine seductus, Assarhaddonem non differre a Sardanapalo non opinatus solum est verum uberrime demonstravit, Medorum autem seditionem et defectum ad finem Assarhaddonis regni referendum esse; itaque altero capite Nini expugnationem a CTESIA et DIODORO descriptam praedici existimat, tertio autem eversionem Nini a Cyaxare perpetratam. Deinde perversissima hac sententia adeo captus est, ut vatis verba non eventu studeret comprobare, verum ipsi eventui adaptaret; atque adeo relicta potestate verborum usu probata simplicem non solum sententiarum nexum et progressum haud raro turbavit, verum etiam, quid intersit inter prophetiam et meram divinationem et praedictionem, plane videtur neglexisse.

Sequuntur aliquot decenniis interiectis trium vv. dd. opuscula, qui pressis SCHULTENSII et SCHROEDERI vestigiis hebraearum vocum significationes ad arabicam normam exigebant:

E. I. GREVE vaticc. Nah. et Habac.; interpretationem et notas adiecit. Editio metrica. Amstelod. 1793, 4;

quae quam sit arbitrarie et singulariter instituta, supra perstrinximus. Cautius egit, et vitia illius rationis magis evitavit, SCHROEDERI et PAREAVII notas addidit

Ev. KREENEN, Nahumi vatic. philologice et critice expositum ct. Hardervici 1808, 4.

Denique, quid assidua interdum arabici sermonis comparatio valeat, in explicandis nonnullis primi capitis locis probe ostendit

CH. M. FRAEHNIUS († 1852) curarum exegetico-criticarum in Nahumum prophetam specimen, Rostockii 1806.

Porro luculentissimum eius interpretationis exemplum, qualis exeunte s. XVIII[uo] et nostro incipiente institui solebat, quippe quae omissa prophetica vaticiniorum indole poëticae venustati investigandae plurimam daret operam, eius igitur exemplum afferimus

C. W. IUSTI Nahum neu übersetzt und erläutert, Lips. 1820, 12, quo adde, quod paullo antea prodiit,

H. MIDDELDORPF Nahum aus dem Hebräischen übersetzt, mit Vorrede und Anmerkungen von GURLITT. Hamb. 1808. 12;

nec non versiones vaticinii editas a GRIMMIO 1790, WAHLIO 1790, NEUMANNIO 1808.

Tum vero posteaquam gravissimas priorum interpretum sententias collegit ROSENM. (Scholia in V. T.), ampliore deinceps luce Nahumi quoque oraculum collustratum est RUECKERTII versione, et commentariis satis pervulgatis illis, quos de XII proph. min. ediderunt HITZIG. 1838 et 52, HESSELBERGIUS, EWALD., MAURER. 1840, UMBREIT. 1844; SCHMIEDERI notae (d. heil. Schrift ed. O. DE GERLACH, vol. V, a) cum ederentur, maxima dudum commentarii nostri pars typis expressa erat. Ultimo loco commemorandus est

A. G. HOELEMANNUS, Nahumi oraculum ex praefatione de externae poëseos in vernaculam convertendae ratione versibus germanicis ὁμοιοτελεύτοις et σχολίοις illustravit ct. Lips. 1842. 8.

Quae prophetarum vaticinia vertendi ratio num videatur idonea esse, non disceptamus; adiectis annotationibus Nahumi explicatio multis locis amplificata est.

CAPUT PRIMUM.

v. 1.

Onus Nini, liber visionis Nahumi Elcoschitae. Duabus ex partibus compositus vaticinii titulus est; argumentum perstringit altera, משא נינוה, altera auctorem libri indicat.

Ac de prima quidem voce, משא, V. Ti. haud raro inscripta illa oraculis, ex antiquissimis temporibus magnopere interpretum inter se discreparunt sententiae. LXX non satis sibi constant: Iesaianis locis c. XIII ss., XXX, 6 exhibent *ὅρασις, ὅραμα, ῥῆμα,* reliquis autem omnibus *λῆμμα,* sicuti Symmachus et Theodotion, de quo, ut Graecorum omittamus argutias[1], aut ita iudicandum est, ut secundum 2 Reg. IX, 25 (*ὁ κύριος ἐλάλησεν ἐπ᾽ αὐτὸν τὸ λῆμμα τοῦτο* נשא עליו את־המשא הזה) pro promuntiato, effato, sumto in labia accipiatur, aut ita, ut pro tradito, accepto a deo valeat. Syriaca deinde interpretatio, quae Peschito vocatur, Ierem. XXIII, 33 sq. habet ܠܡܡܠܠܗ, i. q. *φθέγμα;* Hab. I, 1; Sach. XII, 1; Mal. I, 1 ܚܙܘܐ tum vero nostro loco recte reddidit ܡܚܘܬܐ plaga; postremo Iesaianis locis exhibet ܡܫܩܠܐ, id quod alias fere notionem habet ereptionis, expugnationis (cf. Bernsteinii lex. Syr.),, possit tamen hic idem esse ac ܫܩܠܐ, gestatio, molestia, labor, sicuti ܫܩܠ omnino = נשא, cfr. l. l. p. 539 ss.). Oneris deinde veram atque genuinam significationem retinuerunt Ionathan, Aquila, Hieronymus, qui primus notavit, „numquam praeferri in titulo, nisi grave aliquid et ponderis laborisque

---

1) Cyrillus Alex.: *ἡ ληφθεῖσά τε καὶ προκειμένη ἐν χερσὶν προφητεία.* Theodoretus praefert.: *τῆς διανοίας τὴν λῆψιν καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων μετάθεσιν.* Olympiodorus: *ὀργὴ μετὰ θυμοῦ, ἐκ τοῦ τὸν ἰσχυρότερον λαβόντα τὸν ἀσθενέστερον καταῤῥηγνύναι.*

plenum esset, quod videretur." Quae posteaquam diu fere sola valuit ad GOUSSETIUM usque (lex. p. 1027 ss.), a COCCEIO inde et VITRINGA (ad Ies. XIII) et AURIVILLIO (dissertt.) altera ad nostram usque memoriam adeo facta vulgaris est, ut I. D. MICHAELIS (suppl. p. 1685) eorum nomina reticere mallet, qui illam etiam retinerent. HENGSTENBERGIUS demum (Christol. II, p. 102 ss. Psalm. I, p. 301), assentiente HAEVERNICKIO (comm. in Ezech. p. 165) Hieronymi versionem unice probari posse, luculenter demonstravit; ad quam disputationem quae KOESTERUS (die Proph. des A. u. N. B. p. 259) et DRECHSLERUS (ad. Ies. XIII) responderunt, non ita magni momenti sunt; accuratius DELITZSCHIUS ad Hab. I, 1 argumenta eius examinavit. Iam igitur de quattuor disceptatur interpretandi rationibus, quas duobus numeris comprehendimus; altera eorum, qui vertunt onus, altera eorum, qui vel effatum praeferunt scil. divinum (DELITZSCH., GESEN., WINER al.) vel pronuntiatum (s. recitationem, ab inspiratione divina discernendam, KOESTER.), vel etiam, quod EWALDUS habet, sententiam gravem (Hochspruch). Haec autem interpretum pars verbo נשא interdum inesse vim pronuntiandi contendunt, id quod altera plane negat. Quare huius verbi notio, totius nimirum caput quaestionis, perscrutanda atque investiganda diligentius videtur.

Primaria verbi potestas est ferendi, portandi, tollendi. Quam sat multi relinquendam putant, I. ubi componitur verbum cum קול, unde prave intellectae vocis משא summa repetenda caussa est. נשא קול ex genuina utriusque significatione nihil est, nisi tollere vocem, i. e. altiorem reddere vocis sonum. Duo, qui in hanc dicendi formam cadant, locorum genera sunt; 1) ubi plene scriptum est נשא קול, subiecta notio est clamandi, iubilandi, plorandi a) clamandi Iud. IX, 7 וישא קולו ויקרא; b) iubilandi Ies. XXIV, 14: „illi tollunt vocem suam, iubilant;" LII, 8: „vox custodum tuorum, tollunt vocem simul omnes, iubilant;" ubi non prophetae iubilant (ut cavillat KOESTERUS p. 259), sed species quaedam atque imago custodum urbanorum, cfr. v. 7 et LXII, 6; c) plorandi Gen. XXIX, 11; XXVII, 38; 1 Sam. XXIV, 17 al. Longe gravius alterum genus est 2) ubi omittitur קול; ibi nulla ex sententiarum nexu admitti potest nisi clamandi potestas, cfr. Ies. XLII, 2. 11; LII, 8; quibus exemplis si vere probaretur, quod affirmat KOESTERUS p. 259, נ' notare initium sermonis prophetici, praedicaretur XLII, 2 inter virtutes Messiae, — eum

non esse vaticinaturum. Accedunt Ies. III, 7 et Iob XXI, 12 ubi manifestus est vociferantium et iubilantium clamor. II. Pergendum est ad reliquum locorum genus, quibus נשא cum aliis componitur nominibus. Quo in genere נשא 1) est tollere, ferre, eoque sensu a) legitur v. c. Ps. XV, 3: „nec tollit, s. infert convicium in vicinum suum,“ neque vero „non pronunciat convicium;“ cfr. Ps. CXXXIX, 3; Exod. XXIII, 1 לא תשא שמע שוא; accedit celeberrima decalogi vox Exod. XX, 7: „ne feras, portes nomen ct. ad mendacium;“ non posse sic verti: „ne pronunties nomen ct. ad mendacium,“ ostendunt verba Ps. XXIV, 4: „qui non fert animum suum ad falsum,“ ubi absona prorsus esset pronuntiandi potestas; cfr. HENGSTB. Ps. I, p. 82 ss. Neque aliter explicanda vox est 2 Reg. IX, 25 וה' נשא עליו את־המשא הזה „et sustulit, ingessit Dominus in eum hoc onus,“ sc. grave illud atque acerbum de morte eius decretum 1 Reg. XXI, 19; XXII, 35. DELITZSCHIO autem, qui l. l. sic vertit: und Jehovah hat über ihn diesen Ausspruch ausgesprochen [1], intelligi non potest, quibusnam ex caussis simplex illa atque genuina interpretatio videatur intolerabilis esse; b) translate dictum habetur preces tollere Ies. XXXVII, 4, ad deum nimirum in coelis habitantem. Quo adde c) tollere fletum Ier. IX, 9 brevius dictum pro: tollere vocem et flere, cfr. supra I, 1, c. 2) Restat ea dicendi ratio, in qua נשא aperte est incipere, nostro autem sermone optime redditur anheben: נשא משל Num. XXIII, 7; Iob XXVII, 1; XXIX, 1; Micha II, 4 quibus locis, si נשא esset pronuntiare, satis incommodus admitteretur pleonasmus: et pronuntiavit carmen suum et.... inquit; quare bene DELITZSCHIUS Hab. II, 6 vertit: ein Lied anstimmen.

Quod si verbum נשא nusquam potestatem pronunciandi admittere vidimus, nomini quoque inde ducto tale quid inesse nequit; imo, si unam excipias dicendi formulam משא נפש, in qua locum indigitat quo tollitur animus, i. e. desiderium Ezech. XXIV, 25, omnibus omnino locis, secundum usitatissimam vocum praefixo מ formatarum rationem [2], aut rem portatam, i. e. onus, aut ipsum portandi actum designat. a) Posterioris potestatis dilucidum exem-

1) KOESTERUS: und Jehovah trug vor diesen Vortrag über ihn.

2) Cfr. EWALDII ausführl. Lehrbuch 1844, § 160, b, 3, cuius explicatio longe praeferenda videtur infinitivo chaldaizanti a GESENIO proposito.

plum est 1 Paral. XV, 27; ubi fuerunt, qui prophetiae vel cantus sensum flagitari asseverent verbis, commoti forsitan v. המשררים, quod bis ille versus habet. Utraque autem versio suas habet non difficultates solum, verum errores. Nam illis, qui prophetiam intelligunt, bene respondit CH. B. MICHAELIS in ann. ubb. prophetias recitandas secundum cap. XVI praescripsisse non Chenaniam, sed Davidem; iis vero, qui de cantu cogitant, universum capitis argumentum maxime contrarium est; ac praesertim v. 22 Chenania inducitur tanquam שר הלוים במ', addita muneris caussa: „docebat gestationem, quia eius erat peritus.“ Inter cantores autem Davidis Chenania nec v. 16–21 nec ullo alio refertur loco, imo, facta eius mentione v. 22, sequuntur arcae divinae ianitores; et baiulare arcam Levitarum erat, cfr. v. 2. 15; Num. IV, v. 19. 24. 27. 31. 32. 47. 49 (משאם ועבדתם), denique 2 Paral. XXXV, 3 Davides Levitas iubet seponere arcam in templo, „ne iam humeris eorum oneri esset“ אין לכם משא בכתף. Neque vero offendimur eo, quod ante Chenaniam et post eum v. 27 legimus de cantoribus; nam v. 17 ss. describitur pompae sacrae ordo, in quo cantores et musici praecedunt et sequuntur arcam a Levitis gestatam; v. 27 amictus Davidis et reliquorum eodem fere ordine additur; alterum autem המשררים ἀσυνδέτως positum est. — b) Iam vero constat inter omnes oneris potestas, ubi proprio sensu legitur ex. gr. 2 Reg. V, 27; Neh. XIII, 15. 19; Ies. XXII, 25 al., nec non ubi transfertur per similitudinem ad molestiam et nauseam indicandam, 2 Sam. XV, 33; Iob VII, 20; 2 Sam. XIX, 36. Nihilominus oneris imaginem improbant in oraculorum titulis adversarii, ac primum quidem, 1) quod inscriptum eiusmodi etiam vaticiniis sit, quae non sint minantia (DELITZSCH.), veluti Sach. XII, 1; cuius argumentum satis existimamus „grave et ponderis laborisque plenum“ esse. Haec autem vaticinii indoles manifesta apparet, si Israelis nomine (מ' דבר ה' על־ישראל) non gens sacra foederis, sed inimici ecclesiae designati videntur, uti existimat HENGSTB. Christol. II, p. 272 ss.; pernicies enim propter inimicitiam Hierosolymorum gentibus imminens per omne hoc oraculum describitur. Sin alia tituli ratio est, et Israel, ut semper fere, populum significat universum — quae suam et ipsa defensionem habet explicatio, licet intricatas capitis etiam exaugeat difficultates —: oneris tamen inscriptio non minus ideo comprobatur. Quid enim gravius est funesta fratrum, Iudae et

Israelis, perduellione, quid acerbius, quam ipsos etiam Iudaeos, scelerato cum profanis gentibus icto foedere, contra sacrosanctam consurgere urbem? (וגם על־יהודה יהיה ב' v. 2) Qua contentione perniciem sibi parant Iudaei; nihilominus Dei gratia reversi in sobrietatem, praesidio sibi esse Hierosolyma intelligunt ct.; at victoriam gentium non assequuntur a Domino, nisi datis antea poenis. Tum vero alterum etiam sequitur „onus", gravissima de Messia perfosso querimonia et moestitia, v. 10 – 14. — At vero si amplior nihilominus promissa inter calamitates laetitia videatur, quam quod oneris nomine comprehendi possit argumentum, eandem habemus rationem ac 2) Ies. XIX, quo exemplo, cum Aegypto non minae solum, sed felices etiam eventus praedicantur, DELITZSCHIUS utitur, ut demonstraret, non mere esse minitantia vaticinia, quae inscriptum habent משא. At amplissima quaestioni lux accedit e versu 22do: et *percellit* Dominus Aegyptum *percellendo simul et medendo;* hoc est enim proprium illud et peculiare plagarum divinarum, quod pessumdant quidem peccatores, eiusmodi tamen, ut tam conditionem quam remedium in se gerant salutis, dummodo perculsi redeant ad Dominum — „et revertuntur ad Dominum et exaudit eos et medetur iis"; attamen, quod primum atque maxime cadit sub oculos, violentia est plagarum et onerum ingestorum moles. — Nimium autem vidit KOESTERUS in hoc genere, l. l. p. 260: „Dass es nie anders als bei Drohweissagungen gebraucht werde, ist von keiner Bedeutung, da in allen Weissagungen theils gedroht, theils verheissen wird;" inscribitur enim a parte potiori argumenti ratio. 3) Iam vero DELITZSCHIUS, cum Thren. II, 14 vocem nostram de vaticiniis prorsus felicibus dici asseveret, ab idoneo verborum sensu abesse videtur: „vates tui mendacia tibi et falsa vaticinantur, nec tua tibi facinora aperiunt, ut reditum adducant captivorum: sed falsa tibi vaticinantur onera et seductiones"; onera enim aperte sunt hostium, quibus falsi vates exitium praedixerunt, ut auram captarent popularem. 4) Ierem. XXIII acumen rei in eo positum est, quod quotidiana vatis onera facta iis onerosa erant, eorumque taedium moverant et lasciviam; atque adeo Deus hoc uti etiam vocabulo prophetas vetuit, ne sacra eorum gravitas et severitas ludibrio haberetur. Cfr. HENGSTENB. l. l. p. 105.

Iam igitur posteaquam effati potestatem nec posse omnino

verbo משא inesse, nec satis valere eorum, qui eam defendunt, argumenta ostendimus, addenda nonnulla vel, ne longiores in hac quaestione simus, indigitanda potius videntur, quibus nostra aperte confirmetur sententia. Cuiusmodi afferimus Sach. IX, 1: מ' דבר ה' בארץ חדרך ודמשק מנחתו, *onus* verbi Domini super terram Hadrach, et Damascus *requies eius;* quam aperte hic significatur, praedictorum a deo casuum onus ingenti cum pondere incumbere in terram Hadrach, et recubare in Damasco, premere Damascum? Deinde Ies. XV, 1: מ' מואב כי בליל שדד' particula כי inducit caussam, ex qua onus dicatur imminere Moabitis; qui apud alteram effati remanent significationem, affirmativam potestatem obtrudunt particulae, quam numquam omnino habet nec ex omni ratione sua habere potest. Ut enim medio in progressu nexuque sententiarum notare possit aliquando „profecto, revera", initio tamen enuntiationis, multoque magis in integri capitis exordio, tale quid admitti nullo modo potest. (Quos Ew. § 320 a, huiusmodi laudat locos, nihil huc pertinent, quia in media sententiarum quasi catena exhibent particulam.) Porro Ies. XXI post titulum מ' מדבר־ים secundus statim incipit versus: visum grave et horribile dictu nuntiatum mihi est; cfr. etiam מ' v. 13 cum v. 16: מפני כבד מלחמה. Denique Ies. XXII ad מ' v. 1 inscriptum redit v. 25: ונפלה ונכרת המ'

Postremo e duobus illis Proverbiorum locis, XXX, 1, XXXI, 1, vere quod aiunt interpretum crucibus, licet inaccessae eorum difficultates tolerabili ratione nondum enucleatae sint [1], tantum tamen patere videtur, oneris notionem in universum eorum argumentum maxime quadrare, cum satis multa habeant gravia et onerosa; quo accedit, quod in altero titulo XXXI, 1 verba משא אשר־יסרתו אמו, „onus, quo castigavit eum mater eius" satis dilucide nostram indigitare explicationem debent. —

Est autem onus illud, quod imminere vates vidit, *onus Nini;* solet enim genitivus voci מ' adiectus notare eum, cuius cervici ingeritur onus; Sach. IX, 1; XII, 1; Mal. I, 1 verbum designat domini, quod oneri est. De Nino urbe in proll. verba fecimus.

---

1) Ex iis, qui novissime examini subiecerunt locos, post EWALDUM (Jahrbücher der bibl. Wiss. 1848, p. 108 ss.) optime meritus est KEILIUS (HAEVERNICKII Handb. der Einl. ins A. T. III, p. 411 ss.) masorethico textu diligenter defenso et HITZIGII aliorumque coniecturis accurate refutatis.

Percellit autem plaga divina Ninum caput regni non tantum totius corporis loco, sed una etiam cum eo, sicuti saepissime hoc in genere Hierosolyma pro Iudaea, Samaria pro Israele, Damascus pro Syria ponuntur. Nam in quem quasi medium locum peccatorum ubivis commissorum undique redibat gravitas et atrocitas, eo quoque poenarum ictus dirigi maxime oportebat.

Altera tituli pars auctorem notat, ספר חזון. Ex quo de prophetarum scholis, quas dicunt, nihil amplius traditur in libris sacris, post Eliae nempe tempestatem, gravibus illis et funestis populi casibus propius indies instantibus, summa deinceps vaticinia perscribi coepta sunt, idque divino iussu, ut saepius docemur, Ies. VIII, 1–16; XXX, 8; Hab. II, 2. 3; Ierem. XXIX, 1 ss.; Dan. VII, 1; XII, 4. 9, nec in futurorum tantum temporum usum Ies. XXX, 8; Ierem. XXX, 2. 3, verum coaetanei etiam generis caussa Ierem. XXXVI, 1–6, ut recitati in templo latius divulgarentur. Quare cum nihil sit, quin perscriptum hunc librum ab ipso Nahumo existimemus, tum, quae erat eo praesertim tempore Assyriorum casus divinitus praedicti gravitas, magis etiam in hanc sententiam compellimur. ABARBANELI nugas, qui e verbo ספר concludit, vaticinium nostrum scripto mandatum et missum Sennacheribo esse, idque ob eam rationem factum, quae intercedit nostro libro cum Iona, attulisse satis erit. Adiectus genitivus חזון omnino propheticum esse librum ostendit; monemur, describendum hostium interitum nec conspectum oculis esse, nec post eventum enarratum, neque ratione antea et coniectura nuntiatum, sed animo extrinsecus rapto oblatum per speciem et visionem, et sic perceptum literis exinde exaratum. At vero inter commune divinationum genus et sacrorum vatum visiones hoc maxime interest, quod divino spiritu et excitantur et diriguntur. Quare non male notat MARCKIUS, verba ס׳ ח׳ involute dicere auctorem huius oneris principalem, ministerialem clarius subiicere נחום האלקשי. Dei autem verba non audiri solum, sed explicari etiam tanquam divina, nec ut mere humana debent. — De Nahumi nomine et Elcesi situ cfr. proll. חזון regentis simul verbi et recti fungitur vicibus (HITZ.), id quod e vocali subscripta, quam IARCHI et ABARB. temere produxerunt, et ex exemplorum similitudine apparet; cfr. Ios. XIX, 29; Ies. II, 11; Ez. XXXIV, 14.

Iam vero primam tituli partem spuriam esse EICHHORNIUS,

BERTHOLDT., EW. contenderunt, ideo praesertim, quod prima verba cum sequentibus nullo modo cohaereant. At vero quaenam potest manifestior esse necessitudo, quam quae intercedit inter argumentum libri et auctorem? Accedit, quod nisi mentio omnino in titulo facta Nini esset, usque ad II, 9 nec universa oratio, nec suffixum illud מקומה I, 8 quo tandem pertineret divinari posset. Cfr. infra a. h. v. — GRIMMIUS contra defendit primam particulam e consuetudine vatum, tale quid inscribendi oraculis, alteram destituit; at si quae est prophetarum in hoc genere ratio, ea est, ut suum praefigant nomen tanquam divini spiritus instrumentorum, ne omne visum stare quodammodo in lubrico videretur.

---

v. 2–14.

Primum vaticinii caput tribus conficitur particulis. I) v. 2–6 notatur a) dei indoles et natura, a qua imminens Assyriis plaga repetenda sit, v. 2. 3 a; b) universa describitur iudicii divini species v. 3 b–6; II) inde quid maneat gentem suam, quid inimicos Assyrios, exponitur v. 7–11; denique III) Domini consilium et iussum de exstinguendis Assyriis et liberando populo suo breviter proponitur v. 12–14.

A. v. 2–6.

a. v. 2. 3 a.

v. 2.

Deus zelotes et ulciscens Dominus, ulciscens Dominus et aestu pollens, ulciscens Dominus in inimicos suos et servans adversariis suis. קנוא rara adiectivi forma (cfr. Ios. XXIV, 19) pro vulgari קַנָּא, acrem notat et strenuum seu in amando seu in irascendo animum; verbum קִנֵּא et nomen קִנְאָה tum hac, tum illa legitur notione, cum adiectivo commune utriusque fundamentum insit. Quam vocis sententiam descripsit HENGSTB. (Beitr. III, 455. Die Opfer der heil. Schrift p. 21) tanquam alacrem ἐνέϱγειαν, qua verus et vivus Israelis et Christianorum deus differt a factitiis simula-

tisque paganorum diis, segnibus illis et languidis amando simul et irascendo. Cfr. Exod. XX, 5 'אל קנוא פקד עון' עשה חסד; XXXIV, 14 ה' קנא שמו; Deut. IV, 24; V, 9; VI, 15. Recte LXX ζηλωτής, LUTHERUS ein eifriger Gott, MARCK., Ew. al. Contra, sat multi interpretes aut indignabundi (MAUR.) aut ob alienum amorem solliciti potestatem statuunt (Vulg. HIERONYM. aemulator, KALINSK., KEIL. ad Ios. XXIV) quae probari satis non potest; imo altera eaque amplior notio omnibus deinceps exemplis longe aptior videtur; cfr. Exod. XX, 5. Haec autem indoles ubi deo tribuitur, ubique positum est אל, quo in nomine praevalet vigoris et potentiae divinae cogitatio (v. איל.). — Qui acer est, idem ulciscitur illatas sibi offensiones: ונקם ה'; is enim, qui summa est et perfecta ipse animantium species (יהוה τὸ ὂν κατ᾽ ἐξοχήν) „mea est ultio inquit et retributio", Deut. XXXII, 35; cfr. Ps. XCIV, 1. Amplificatur Dei ultoris cogitatio verbis נקם ה' ובעל חמה, Prov. XXII, 24; XXIX, 22; חמה, proprio sensu Hos. VII, 5 de vini fervore, creberrime dicitur de irae divinae excandescentia; בעל recte reddidit HIERON. habens furorem, CALV. possidens iram; significat enim eum, qui pollet aliqua re, vel cui maxime aliquid tribuitur, sicuti איש, אב, בן, cfr. Genes. XXXVII, 19 בעל החלומות; 2 Reg. I, 8; Prov. XXII, 2; domini notio secundaria est (BURK.), nec in hoc dicendi genere idonea. Tertium repetitur נקם ה', ut gravitas ultionis sumendae significetur, cfr. Ier. VII, 4; XXII, 29; Ez. XXI, 32; 2 Sam. XVIII, 13, et maxime Ies. VI קדוש וגו; deinde eo inter se differunt enuntiata, quod primum effertur tanquam necessarius vigoris divini effectus; deinde cuiusmodi haec ultio sit explicatur (בעל חמה); postremo ad quosnam pertineat vindicta, declaratur. Nihil est ergo, quod cum ABARBANELE et KALINSKIO[1] triplicem Israelitarum captivitatem respici et triplicem minitari vindictam existimemus; praesertim cum primis versibus omnino praedicentur attributa dei et affectiones, ad quas ea iudicii species, quae postea describitur, sit referenda; nec sequemur TARNOVII argutias, qui S. Trinitatis innui mysterium opinatur, id quod DRECHSLERUS etiam ad Ies. VI, 3 defendit; nam licet triplici numero

1) Ille tres captivitates elicere sibi videtur e locis 1 Paral. V, 20; 2 Reg. XV, 29; XVII, 6; XVIII, 9; hic calamitates illatas Senacheribo et Sardanapalo, et Nini eversionem inducit.

perfecti et absoluti notio aperte insit, longe tamen abest ab eo, ut S. Trinitatis cogitatio subesse videatur, ubicunque idem verbum ter repetitum est. Pertinet autem ultio dei ad inimicos eius, quorum numero comprehensi etiam sacrae gentis hostes sunt; nam Israelitarum adversarii iidem sunt domini; cfr. Ex. XXIII, 22. Denique quartum membrum, tribus quasi respondet: ונוטר הוא ל'. נטר custodire, servare Cant. I, 8; VIII, 11. 12, quemadmodum שמר Iob X, 14; Ierem. III, 5, plerumque de servata offensionis memoria et ira dicitur, Ps. CIII, 9; Ierem. III, 5. 12, similiter coniunctum cum נקם Lev. XIX, 18. Lutherus: „und der es seinen Feinden nicht vergessen wird.“ Calvinus: „significat deum perperam aestimari ex cessatione, non enim torpet neque cunctatur, sed iram tenet.“ LXX ἐξαίρων, et Arabicae translationis auctor: وهو ينزع اعداءه et ipse tollet hostes suos — legisse videntur נוטל pro נוטר.

v. 3a.

Dominus tardus (quidem) *ad iram, sed magnus est robore, nec insontem* (quemquam) *declarat.* Cum, qui tenet secum iram et differt ultionem, tollere eam omnino videatur, ne tale quid peccatores de deo summo opinentur, concedit quidem longum dei animum et patientiam, at tremendam eius energiam simul docet, et iustitiam, qua neminem pro insonte habet, nisi qui poenas promeritas luerit. אֶרֶךְ pro אָרֵךְ dictum cfr. Gesen. Lehrg. § 133, 2; אפים dualis verbi species per similitudinem ab utroque naso inflato translata iram significat. Delibatum est hoc dicendi genus, quod probe reddidit *Chald.* מרחיק רגז, e verbis Exod. XXXIV, 6: „Dominus Deus misericors et clemens est, longanimis et misericordia pollens et veritate,“ quae recitata fere ad verbum sunt Num. XIV, 17; Ioel II, 13; Nehem. IX, 17; Ps. LXXXVI, 15; CIII, 8; CXLV, 8, et reddita aliqua ex parte Ps. LXXVIII, 38; CI, 4; sed non erga pios solum, verum omnes etiam homines longum dei animum esse docet Ionas IV, 2, qui notum hoc sibi iamdudum, nunc denuo intellexisse dicit, cum deus ad interitum Assyriis annuntiandum primum sese misisset Ninum, praestata autem poenitentia, cunctaretur immittere poenam, v. 10. 11. Quare cum longus dei animus diu retardato Assyriorum interitu eximie fuerit probatus, ad Ionae verba re-

spicere Nahumum existimamus, ita tamen „ut adducatur hic illud attributum per modum praeoccupationis seu concessionis, quando adversus Dei iustitiam hic praedicatam solet illud obiici corde, ore, vel opere coll. Eccl. VIII, 11; Mal. II, 17; III, 15.“ MARCK. sic enim magna cum emphasi additur וגדול־כח (pro quo Masorethae syllabarum ancipites legendum praescripserunt וּגְדָל־כֹּחַ); coniunctio igitur ו adversativum sensum flagitat, sicuti Cant. I, 5; Gen. II, 16. 17. CYRILLUS: εἰ γὰρ καὶ μακρόθυμός ἐστι, καὶ ὁρᾶται τέως ἀνεξικακῶν, ἀλλ᾽ εἰς τέλος κτλ. CALVINUS: „ne blandiantur sibi impii, quia deus est patiens, est enim et potens, ideoque non effugient qui eius patientia abutuntur.“ „Patientia ergo eius non est ex defectu virium,“ TARN. Quae interpretatio eo magis commendatur, quod, sicuti egregie UMBREITIUS vidit (prol. ad Nah.) haec totius quasi summa libri est, ut deum patientem quidem, sed zelotem etiam et iustum esse ostendat. De eorum sententia, qui haec verba ad Israelem referant, infra videbimus. כח plerumque robur et nervos exprimit Hab. I, 11, Ierem. X, 12, vires corporis. Quae cum ab hoc loco alienae sint, ingenii vires intelligimus; at non eas, quae patientia et continentia irae spectentur, uti statuit HITZIGIUS, atque adeo vestigia premit HIERONYMI, CASTRI, SANCTII, COCCEII, I. D. MICH. all., quae sententia verbi primum potestatem negligit et usum, nam Iob VI, 11. 12 ubi alteram HITZIGIUS valere notionem contendit, genuina illa maxime confirmatur, cfr. v. 12 „an caro mea ex aere facta est“? tum vero cogitationes infert, quae ad antecedentia et sequentia quadrare probe non possunt; sequitur enim „nec insontem declarando insontem declarat.“ Satius est cogitare de vigore animi et energia, sicuti legitur כח לב Iob XXXVI, v. 5: „en! Deus magnus est, nec reprobat; magnus est vigore animi;“ isque animi vigor iustitia fortiter exercenda spectatur, cfr. v. 7: „non patitur vivere improbum, et largitur ius afflictorum;“ cfr. Mich. III, v. 8: „atqui ego impletus sum robore a spiritu Domini, et iure et fortitudine, ut indigitem Iacobo flagitium eius et Israeli peccatum eius.“ — ונקה לא ינקה satis usitata dicendi forma, qua adiecto infinitivo et amplificatur verbi notio, et certitudo innuitur extra omnem dubitationem posita; cfr. Ew. § 280 b („Der unaufhaltsame Fortgang — oder das völlig unzweifelbare Dasein“). נקה in forma Kal notat „purum esse,“ Ierem. XLIX (neque vero coll. נכא eiicere MAURER hebr.

chald. H.W.); inde Ni. aut purificatum esse, metaph. insontem Num. V, 31; Ps. XIX, 14 aut, physico sensu, vacuum, evacuatum esse Ies. III, 26; Sach. V, 3; possit iam utraque etiam in forma Piel statui potestas; at GESEN. thes., MAUR. al. iure alterius tantummodo afferunt exempla, insontem declarandi, habendi; sic nostro loco LXX reddunt *ἀϑῶον οὐκ ἀϑωώσει*, Vulg. mundans non faciet innocentem, Pesch. ܘܡܕܟܝܘ ܠܐ ܡܕܟܐ; ܕܟܝ Pah. est purificare, iustificare, impunem dimittere. Explorata haec significatio est Exod. XX, 7; Deut. V, 11 non inultum esse patietur, insontem habebit dominus eum, qui nomen eius ad mendacium confert; Deut. V, 11; 1 Reg. II, 9; Ps. XIX, 13 (cfr. HENGSTB. a. h. l.); Iob IX, 28; X, 14; aliis locis sunt qui alteram asseverent, purum faciendi, i. e. funditus delendi, Exod. XXXIV, 7 et Num. XIV, 18; Ierem. XXX, 11 et XLVI, 28, quibus alteram potius magnopere existimamus comprobari. Nam illis Exodi verbis quasi fundamentum est Exod. XX, 5 ss., ubi Dominus energiam suam (אל קנא) ab utraque parte, amore et ira, describit, ita ut adiectivum קנא explicetur duobus participiis פקד עון' et ועשה חסד', cfr. Deut. V, 9 ss.; iam vero Exod. XXXIV, 6. 7 haec enuntiatio et amplificata est, et inverso ordine proposita; adi. קנא omissum est, eiusque loco primum quinque attributis misericordia absolvitur ואמת — רחום', sequentibus partic. נצר et נשא; altera autem energiae pars, irae tenacitas, non adiectivis proponitur, sed verbo ונקה לא ינקה, eaque non simpliciter verum composita illa specie quam supra explicavimus exarata, id quod altero porro exponitur partic. פקד'. Ex quo sententiarum nexu et ordine cum נקה habere sensum: insontem dimittendi appareat, vetamur insuper praeeunte signo Athnach, ne forte ad antecedentia referamus ונקה' et alteram illam admittamus potestatem. Nec alia ratio est Num. XIV, 18, ubi eadem enuntiatio brevius repetitur. Ieremiae verba sic audiunt: „finem faciam cum omnibus gentibus, quo te dispersi, te solum non exstinguam, sed cum aequitate te castigavi, nec vero impunem te esse patiar.“ Sequitur continuo v. 12–14 castigandi Israelis descriptio, eaque coniunctione כי connexa cum antecedentibus ונקה לא ינקה: *„nam* sic loquitur Dominus: desperanda est fractura tua, aegra est plaga tua;“ addita deinde poenae caussa v. 15, multitudine peccatorum, v. 16 praedicatur hostium destructio, quam sanatio et salus Israelis excipit, v. 17–22.

Ierem. XLVI, 28 eodem effato clauditur vaticinium de Aegyptiorum interitu. Videmus igitur exstinguendi potestatem nec necessariam ibi esse, nec ob sententiarum nexum aeque esse idoneam atque alteram illam insontem declarandi, impunem dimittendi.

Quae cum ita sint, genuina verborum potestate moniti, suadente insuper aperto libri Ionae respectu, hemistichii huiusce verba non ad Israelem sed ad Assyrios referamus, cum MARCKIO, KALINSKIO, KREENENIO all. Qui alteram sequuntur sententiam, oppositam hic versui secundo caussam iudicii habent: non acre solum dei ingenium et iram et ulciscendi cupiditatem in hostes, verum longum etiam erga gentem suam animum, et omnipotentiam, qua salvare eam potest, et misericordiam, qua exstinguere eos et delere non vult. Quae licet praeclara sit cogitatio, cedere tamen argumentis supra expositis debebit.

„Hactenus autem minime declaratur, quid Deus acturus modo esset, vel adversus Ninivitas, vel adversus Iudaeos, nedum quid egerit, sicut HIERON. dicit esse vocem prophetae laudantis Deum, quod de Assyriis populi sui ultus sit iniuriam; sed ipsius natura et agendi ratio docetur, cum respectu forte quidem aliquo ad Iudaeos diu iam punitos .... sed longe magis ad hostes Assyrios etc." MARCKIUS.

b. v. 3b – 6.

Ad hanc dei naturam referendum est, quod, ubi procedit ad exsequendum iudicium (v. 3b), exsiccantur ardore irae eius mare et fluvii, arbores et pascua languescunt (v. 4), universa concutitur et misere cum incolis exclamat terra (v. 5); ita ut nihil prae eius ira stare possit, qui firmissimas rupes in pulverem contundit.

Prius vero, quam ad explicandam hanc vaticinii particulam accedamus, quaerendum videtur, quidnam omnino haec sibi divinae potentiae velit descriptio. Nam cum caussam, ex qua eiusmodi aliquid aut praecedere aut sequi soleat prophetarum de iudiciis futuris edita oracula, recte viderit CALVINUS (ad Sach. XII., 1): „Ubi de re difficili agitur, nisi occurrat nobis immensa dei potentia, friget, quicquid nobis promittitur:" dissentiunt tamen magnopere interpretes, sitne proprius eorum sensus statuendus, an translatus per similitudinem. Quattuor fere inter-

pretum hoc in genere sententiae reperiuntur. 1) Primo loco eos appellamus, qui proprie dicta eiusmodi et ad verbum omnia evenire existiment. Quae sententia et veritatis verbi divini sustentandae studio, et indole V. Ti. et ratione universa commendatur. Est enim in omnibus vatum sacrorum oraculis is quasi medius ille locus, quo omnia rapiuntur et coguntur, ut absolvatur et cumuletur regnum divinum; id quod fieri non potest nisi exstincto antea peccato, et praeeunte iudicio. Offeruntur autem prophetarum oculis visa ratione ea, quam tum complexo-apotelesmaticam dicunt (cfr. CH. A. CRUSII hypomn. §164; DELITZSCH. Habak. p. 139 ss.), tum perspectivam (cfr. HENGSTB. Christol. I, 1, 305 ss.; HAEVERN. Einl. II, 2, 45 ss.). Qua fit, ut singula iudicia de singulis sumenda gentibus expressam extremi et absoluti iudicii referant imaginem. — Quae eo magis in Nahumi vaticinium cadunt omnia, quod nihil praeterea habet, quo omnium rerum finis, semper obversatus ille vatum animis, indigitetur. Ac si quaeritur, quomodo ea, quae naturam rerum pati legimus v. 3-6, vera literate esse possint, reiicimur primum ad secretam illam necessitudinem, quae inter genus humanum intercedit et naturam (cfr. Gen. III, 17; Rom. VIII, 19 ss.), et quam terrae maxime sacrae aspectus, Israelitarum conditionem semper referens, probat hodieque; tum vero extremo iudicio omnia ea ad verbum confectum iri asseverant (cfr. HARNACK. Jesus der Christ etc. p. 186 ss.; DELITZSCH. Hab. p. 140 ss.). — Verum enim vero num ea, quibus extremum iudicium in ll. ss. descriptum saepe legimus, eventura literate sint, nec exploratum adhuc est, nec scire omnino possumus, cum ipsa Christi vita alia vaticinia ad verbum, alia per imaginem completa appareant. Huic ergo sententiae prorsus assentire nequimus. 2) Alii proprium sensum aliqua ex parte retinent, cum subiectum huic imagini aspectum dicant vel tempestatis cum tonitru et fulgure (HITZ.), vel ventus aestuosi cum terrae motu (EWALD.), vel earum omnino casuum, quos regionum natura quotannis afferat (GREVIUS); quae speciem eorum et indolem videantur excedere, ea ad hyperbolicum dicendi genus referenda esse, quod poetae cum vatibus commune habeant. — Qui sic statuunt, licet recte multa disputare concedamus, tamen extenuare mangopere verbi divini amplitudinem videntur, quippe quod in hoc quoque genere, ut praeclare AUGUSTINUS ait, „haustus habeat primos, habeat secundos.“ 3) De-

inde, si translate dicta putantur, quae legimus, ea primum ratio est, ut suam quidque habere potestatem symbolicam existiment, quae multiplici V. Ti. usu magnopere comprobatur. Transfertur enim haud raro, ut ex exemplis sat multis apparet, per similitudinem mare ad gentes deo adversarias, fluvii ad victum et subsidia, tempestas ad calamitatum vehementiam; ad atrocitatem iudiciorum nubes; Basan, Carmelus, Libanus ornatum mundi summum referunt, montes regna mundana, rupes denique praesidium et refugium. Neque esset, quin hic quoque eiusmodi admitteremus similitudines, nisi in medio sententiarum progressu v. 5b· orbis terrarum: cum incolis suis proprio sensu appellarentur, sic pergeret v. 6a, et 6b secundum illam normam exhiberet rursus imaginem. Longe minus etiam idonea, licet eiusdem fere generis sit, eorum sententia est, qui non universas quasdam species, sed certos populos et reges imaginibus illis indigitari per allegoriam doceant, veluti Israelitas (THEODORETUS), Sanheribum (KREENEN.), Assyrios (HIERON.), Nebucadnezarem (ABARB.). 4) Propius etiam accedunt ad veritatem, qui non in rerum natura, sed in sensu et animis eorum confici illa dicant, qui ira divina exerceantur, quippe qui angore tam ingenti crucientur, ut titubare et deficere sub pedibus solum opinentur ct. ct. Quod et insitum nostris animis esse, et sentiri haud raro, ubi gravibus genus humanum concutitur casibus, concedendum est; facile tamen intelligitur, si ingentes prophetae cogitationes deberet aequare, hunc sensum nimium quantum fore exaggerandum atque amplificandum.

Suum igitur cuique rationi subesse verum videmus, deesse tamen aliquid, ut magnificentiam verborum assequi valeat. Quid ita? tenendum ante omnia censemus, non meditatione aliqua et consilio inventas a vate imagines esse, ut certas quasdam involverent species, sed oblatas ei per visionem. Tum vero mirifica illa, quae in prophetarum visionibus est, divini spiritus et ingenii humani societas quaedam et communio consideranda est, quae eiusmodi est, ut segregari alterum ab altero cogitatione nostra non possit. Postremo dignoscendum semper erit, quonam modo ipse intellexerit, quae vidit, vates, quo sua id mente exceperint Israelitae, quo denique in omnium deinceps aetatum convertenda usum videantur. Quibus ex principiis quaenam conficiatur sufficiens et idonea sermonis prophetici ratio, non inter-

pretationi, sed theologiae propheticae quaerendum atque investigandum est; quo in genere non universa solum visionum perscrutanda natura est, sed omnes omnino V. Ti., qui huc cadant, loci accurate examinandi atque inter se contendendi sunt. — Quibus quantum fieri potuit, breviter indigitatis, ad interpretationem ipsam pergamus.

v. 3b.

Dominus — in turbine et procella via eius, et nubes pulvis pedum eius. סוּפָה, a. r. סוּף rapere, auferre, turbinem omnia secum rapientem significat. LXX Arab. *ἐν συντελείᾳ*, in excidio, nescio an סוֹף legerint pro סוּף, = קֵץ. שׂערה Iob IX, 17, שׂער Ies. XXVIII, 2, aliis fere locis סער Am. I, 14, סְעָרָה Ies. XXIX, 6, סְעָרָה 2 Reg. II, 1, procella est; LXX minus iterum accurate *ἐν συσσείσμῳ* (vel *σείσμῳ* Cod. Alex.), sequente Arab., in terrae motu. Utraque vox sic legitur Ps. LXXXIII, 16; Ies. XXIX, 6. דרכו HITZ. sein Wegmachen, inf. Pi., at nullum huius verbi in coni. Piel usitati extat exemplum; viam pro ratione et modo agendi dictam metaphorice, bene notat VATABLUS. Saepissime autem hac similitudine vehementia pingitur poenarum et calamitatum, cfr. Iob IX, 17; Ies. LXVI, 15; Ier. XXXII, 22; XLIX, 36; Ez. I, 4; Ps. L, 3; Iob IX, 17. — ועגן עבק רגליו, atras nubes excitat incedendo. Nube involutus deus in montem Sinai descendit Exod. XIX, 16. 18; legem promulgavit מתוך האש הענן והערפל, in nube victorem praeibat populi exercitum, habitabat super arca foederis; nubes omnino comitantur deum ad iudicium venientem et filium eius Ies. XIX, 2; Ps. XCVII, 2; CIV, 3; Dan. VII, 14; involvunt nubes laetum solis aspectum, et fulgura in se tonitruaque gerunt, quibus percelluntur malefici Ps. XVIII, v. 10. 12 ss.; similitudinem ergo praebent atrocium Domini iudiciorum Ioel II, 2 יום ענן וערפל, Zeph. I, 15; Ezech. XXXIV, 2. Quae cum tam aperta sit imaginis ratio, nullo modo cum KREENENIO all. metaphoram a duce bellico repetemus, agmina in aciem educente, quo insuper omnis exemplorum similium negligitur analogia.

v. 4.

Qui increpat mare, et arefacit illud, omnesque amnes exsiccat; languescit Basan et Carmelus, et germen Libani languescit. Descripta qua iudex appareat specie, sequitur adventus eius efficacia, et primum quidem, quid aqua, quid continens omnino patiatur; deficiunt, languescunt coram eo. גוער, partic. referendum ad 'ה v. 3b. גער clamare (cfr. ܓܥܐ Marc. IX, 26; XXV, 27 pro *κράζειν*), cum praep. בְּ obiurgare, increpare, ut pater filium Gen. XXXVII, 10, cfr. Sach. III, 2; Ps. CVI, 9 mare algosum sic increpatur, nec, licet universa sit totius imaginis, ut vidimus, ratio, aliqua omnino celeberrimi miraculi illius neganda cogitatio est; cfr. Ies. XVII, 13; L, 2; Ps. CVII, 33 all. Ceterum nimium voci גער tribuit HITZIGIUS, cum non solum *ἐπιτιμᾶν* (Luc. VIII, 24) esse dicat, verum ob exsecrationem sequentem = החרים, Ies. XI, 15, at argumentum eius primum futile est, deinde החרים unam semper notionem habet exsecrandi internecione, quae ultro sacrari Domino nolunt. וַיַּבְּשֵׁהוּ, contracta species ex וַיְּיַבְּשֵׁהוּ, id quod haud raro accidit in verbis 'פי, praecedente Vav conversivo, cfr. GESEN. Lehrgeb. 386, Ew. § 232 c, veluti וַיַּדּוּ Thren. III, 53; וַיַּגֶּה ibid. 33; וַיַּשְּׁרֵם 2 Paral. XXXII, 30: perperam a ROSENMUELLERO afferri יַדּוּ ostendit CASPARIUS Obadi. v. 11. וכל־הנהרות החריב, ut Iordanem olim Ios. III, 17; Ps. LXXIV, 15. Subintelligenda increpatio non hic solum est (GROT.) verum per omnem etiam versum, cfr. v. 5 ממנו. Sic Rabsakes Ies. XXXVII, 25 deo omnipotenti suam comparavit potestatem. LXX *ἐξερημῶν*, HIERON. ad desertum perducens, nimis respexisse Ps. CVII, 33 videntur: „convertit fluvios in desertum.“

At non mare solum, nullis legibus parens, deficit, et exsiccantur amnes, sed, quicquid terra fert laetum ac magnificum, languescit prae Domino irascente. Basan (Chald. מַתְנַן, Syr. ܡܬܢܝܢ, Ioseph. *Βαταναία*, nunc vero البثنية) celeberrima trans Iordanem sita regio, piguedine pascuorum (unde nomen etiam) et quercetarum magnificentia (cfr. Ier. L, 19; Mich. VII, 14; Ies. II, 13; Zach. XI, 2), taurorum praestantia (Deut. XXXII, 14; Ps. XXII, 13 all.) insignis; cfr. WINER Reallex. a. v., ROBINSON Pal. III, b, 911 ss., RITTER Erdk. XV, 97 ss.; nunc devastata et inculta, atro basaltidis colore longe lateque conspicua iacet, cfr.

F. A. Strauss Sinai und Golg. (V) p. 324. Celeberrimum Carmeli promontorium, sicuti ab horto frugifero nomen ducit, „laetis abundabat pascuis“ (Hieron. ad Am. I, 2), „oleis consitus et arbustis vineisque condensus“ (idem ad Ierem. IV, 26). Cfr. Winer l. l. a. v.; F. A. Strauss l. l. p. 333. Contenditur saepius cum Libano (de quo cfr. Winerum l. l. a. v.), qui niveo fulgens capite (לבן) cyparissis et vitibus (2 Parall. II, 7; Hos. XIV, 6–8), odoriferis herbis (Cant. IV, 11) tum vero cedrorum magnificentia (Ps. XXIX, 5, all.), illustrissimus erat. Vi. To. Variae sunt autem, quibus comparantur, rationes, pro variis utriusque virtutibus et detrimentis. Modo enim pascuis Carmeli et frugiferis eius hortulis opponuntur vasta Libani fastigia, quae arbusta tantum et silvas germinant (Ies. XXIX, 18), quemadmodum discernitur Carmeli foecunditas a deserto (Ies. XXXII, 16); modo ob arborum praestantiam celebratur uterque (Ies. XXXV, 2), sicuti refertum est Libani laude Cant. III, 9; IV, 11 ss. Nostro loco, licet cedri praecipue cogitandae sint, latius tamen patet פרח ל׳, quodcunque germinat Libanus (Rosenm.) אמלל non est partic. omisso מ (Gesen. Lehrgeb. p. 316; Thes. s. v., cfr. Hengstb. ad Ps. VI, 3), sed praet. Pulal a. v. אמל, cuius f. Kal nisi in specie part. pass. fem. אמולה Ez. XVI, 1 non legitur; contra Ewaldus ausführl. Lehrb. § 120 a., 131 d, 157 b non Pulal sed radicem esse asseverat, reduplicata tertia, veluti in adi. שאנן all.; verum cum formae Kal habeamus exemplum, satius erit apud normam et regulam remanere, eo magis, quod passiva ratio in specie Pulal expressa potius est, quam intransitiva in Kal. Significat autem flaccescere, languescere, modo proprio sensu dictum de plantis Ies. XXIV, 7; Ioel. I, 12 ss., ut hic quoque habemus, modo translate de corpore aegroto Ps. VI, 3, de moenibus dirutis Thren. II, 8, de terra devastata Ies. XXIV, 4; XXXIII, 9, ubi antecedit synonymum אבל. Cuius loci verba licet magnam cum nostro habeant similitudinem, non eiusmodi tamen sunt, ut nostris videantur quasi fundamentum esse. — Ceterum praeteriti, quod sequitur futurum ויבשהו, prophetica indoles est; cfr. Ps. XCVII, 4. Neque vero intermittimus adnotare, in hac exemplorum electione latere quodammodo, Nahumum in ipsa terra sacra vaticinatum fuisse; nam si speciosum aliquid et magnificum afferendum erat, Assyriae incola nescio an illius regionis virtutibus usus fuisset.

v. 5.

Montes contremiscunt coram eo, et colles liquescunt; et conclamat terra prae conspectu eius, et orbis terrarum, et omnes qui habitant in eo. Progreditur vates ad ea, quae firmissima alias videntur, ad montes, et ad omnem omnino terrarum orbem, cum incolis eius. Inest autem quaedam gradatio in descriptione eorum, quae quidque patiatur: mare et fluvia exsiccantur, languescunt silvae, arva, hortuli; concutiuntur autem montes, dissolvuntur omnino colles, et atrociter conclamant eiulantque animantia omnia, quae orbis terrarum complectitur; postremo rupes, quo nihil firmius duriusque, franguntur et contunduntur. — רעשׁ, cui cognatum est רגז Ps. XVIII, 8 געשׁ ibid. et 2 Sam. XXII, 8 de montibus dictum etiam Ps. XLVI, 4; cfr. simile dicendi genus Iud. V, 4: „Domine, cum exires e Sëir, cum incederes ab arvis Idumaeis, contremuit terra et coeli stillarunt.“ Ps. LXVIII, 9; Mich. I, 3. 4. ממנך ut saepe cum verbis timendi, et caussam notat Ez. XXXVII, 20, et recessum prae timore, cfr. III, 7, Ies. XIII, 13; synonymum prorsus est, quod sequitur, מפניו. HOELEMANNUS apposite: schauerten von dannen. Forma Hithpalel התמגג bis praeterea invenitur Am. IX, 13, Ps. CVII, 26; inest eadem quidem potestas ac in f. Kal et Ni., diffluendi, ut מסס, מאס, et מקק, accedit autem id, quod peculiare huic speciei est, et quod dilucide perstrinxit DELITZSCHIUS Hab. p. 156: „Zwar Wirkung einer äusseren Ursache, aber, nach empfangenem Impuls von Aussen, sich innerhalb des Subjects gleichsam in fortgesetzten Schwingungen selbst vollziehend,“ cfr. התבקע Mich. I, 4; התגעשׁ Ps. XVIII, 8; התפרר, התרעע Ies. XXIV, 19; התקלקל Ierem. IV, 24 all. Cfr. Ew. § 124 a. Diffluendi autem cogitatio proprio sensu statuenda erit, licet intra imaginem et visionem, neque vero per similitudinem pavoris ut Ps. CVII, 26; XXII, 15; XLII, 5; nec ut frigide GROTIUS „aquam edunt,“ coll. Exod. XVII, 6; Num. XX, 20; eadem res est, aliis fere expressa verbis, Ies. LIV, 10; Hab. III, 6; Sach. XIV, 4; diffluunt ut nivis aut cerae prae calore et igne (ROSENM.). Cfr. Ps. XCVII, 5; Mich. I, 4; „materia eorum in agri planitiem quasi effusa et deiecta est.“ HOELEM.

Pergit vates in hemistichio altero: *et conclamat terra prae facie eius;* sic enim unice verti posse contendimus וַתִּשָּׂא. Satis autem varias in partes interpretum abeunt sententiae. 1) Ver-

siones fere omnes exhibent: tollitur in altum, scil. cum tremore: LXX ἀνεστάλη, Hier. Syr. contremuit, Symm. Theodoretus ἐκινήθη, Cyrill. χωρήσει πρὸς τὸ μηδὲν, καὶ ἔσται πάλιν ὡς οὐχ ὑπάρχουσα, aufertur, Fraehn., curr. exeg. crit. in Nah. proph. specimen, Rostochii 1806. Qui omnes in eo errant, quod passivam reddiderunt speciem pro activa; id quod cadit in alteram quoque partem 2) qui praeferunt: „attollitur incendio“ Iarchi et Iudaei fere omnes, Iun., Tremell., Schmid., et qui supplent אש e versu sequente. Nescio an in hunc inciderint errorem, profecti inde ubi maxima nostratium pars constitit: 3) attollit se Cocceius, Abarban., Maur., Ew., Hitz., Hoel., Umbr. all.; at vero intransitiva potestas plane obtruditur verbo. Age examinemus exempla, quibus tale quid comprobari asseverant. Num. XIV, 1 ותשא כל העדה ויתנו קולם vidimus ad v. 1. קול referendum esse etiam ad ותשא; Hos. XIII, 1 I. H. Mich. recte interpretatur: „portavit ipse scil. suum loqui s. horrendum illud peccatum suum; portatur autem peccatum, cum imputatur et vindicatur.“ Hab. I, 3 ומדון ישא simpliciter audit: et rixam tollunt (erhebt man); Ps. XXIV, 9 ad alterum ושאו, „et attollite portae aeternitatis“ supplendum esse „capita vestra“ ex antecedentibus, reflexivam autem vim nullo modo concedi posse, e v. 7 patet, ubi e contrario legimus והנשאו פ׳ ע׳; postremo Ps. LXXXIX, 9 שוא non est infin. (Gesen. thes. all.), sed, sicuti שיא Iob. XX, 6 nomen abbreviatum, cum potestate sublationis, seu altitudinis, sublimitatis, cfr. Ew. § 153 b (Iob. VI, 1, quem laudat Hoelem., pertinere huc nequit, cum ישאו dilucide ibi significet: ponderare). 4) Restat paucis quidem sublevata fautoribus, unice tamen probanda usu I. H. Michaelis et Burkii interpretatio: tollit, scil. vocem suam, clamando nimirum et eiulando, quod dicendi genus supra a. v. משא enucleatum est; idque longe aptius videtur sententiarum nexui et progressui, quam „nimis frigidum“ [1] illud: attollit se. Exclamat autem terra מפניו, prae facie s. conspectu eius, cfr. Ies. VI, 5; conclamat deinde una cum orbe terrarum ותבל וכל יושבי בה, ἡ οἰκουμένη, est enim תבל (3 fut. fem. a. v. יבל) proprie: „frugifera est,“ unde Ewaldus sola s. h. v. arva intelligit, angustius nimirum; nam ubi de universa terra dictum est, non est quod afferantur arva,

---

1) Marckius a. h. v.

praesertim cum inclusa antea Batanaeae et Carmelis nomine videantur. Ubicunque חבל opponitur terrae universae, eas significat regiones, quas incolunt homines, Iob. XXXVII, 12; Prov. VIII, 31; Ps. XC, 2, unde saepius etiam adduntur incolae Ps. XXIV, 1; cfr. Ies. XIII, 11; XIV, 17; XXIV, 4 ss., ubi falso restringitur a nonnullis ad Israelitarum vel Babyloniorum fines, sicuti nostrum quoque ad sacram terram cogit GROTIUS: „quae et ipsa fumavit incendiis per Salmanassarum et Sanheribum" — at vero חבל numquam significat unam terram, sed terrarum orbem. Status constructi praepositionem praecedentis veluti יושבי בה satis multa exempla, praeter v. 7. חוסי בו, vide sis apud GESEN. Lehrgeb. p. 679; quod genus admittitur, ubi verbi recti ratio praepositione describitur; cfr. 2 Sam. I, 21 הרי בגלבע, et HENGSTB. ad Ps. II, 12. Incolas orbis terrarum plerique solos homines esse putant (Ew.: so dass wohl auch die Menschen zittern müssen); at magnifica imago omnia omnino animantia flagitare videtur; cfr. Ioel I, 18. 20.

v. 6.

Prae spuma eius quis stabit? et quis consistet in ardore irae eius? aestus eius instar ignis effusus est, et rupes ruptae sunt ab eo. Si caussam quaeris, unde tam atrocia patiantur omnia, ira dei et excandescentia est, irresistibilis illa; quae si vagatur et consumit longe lateque, ipsas rupes contundit, nedum evadent homunciones! — מי interrogatio pro mera negatione, ornate posita. — זעם spuma primum, deinde creberrime ira; לפני durius, etsi literate, HOELEM.: zum Angesichte seines Grimmes. — יעמוד, non stabit solum, verum stando permanebit nec concidet (in statu suo permanebit DRUS., TARN.), cfr. eandem fere sententiam Mal. III, 2, unde coniuncta cum Ioel II, 11 verba refert Apoc. VI, 17. — Amplificatur interrogatio parallelo synonymo, per chiasmum inversum addito, ומי יקום. BURKIUS epitasin chiasmi sic explicat: „stare, sive statum firmum, quem iam assecutus sis antea, tueri minus est, quam surgere, ubi iam cecidisti; minusque est indignatio, quam excandescentia irae" — in quo neglexit satis pervulgatum verbi usum, = עמד 1 Sam. XXIV, 21; XIII, 14; Am. VII, 2; Ps. I, 5 all.; male quoque LXX ἀντιστήσεται ἐν ὀργῇ HIERON. resistet in ira. חרון אפו

cfr. Ion. III, 7; Num. XXV, 4; Ies. XIII, 9. 13. — נסך = נתך (מסכה = מתך) de aqua, de ira saepe legitur dictum 2 Par. XII, 7; Ierem. VII, 20; XLII, 18; cfr. Ez. IX, 8; Apoc. XVI, 1. „Effundi hic nihil aliud est quam longe lateque dispergi; grassatur momento, ac si ignis totam silvam corriperet.“ CALV. LXX aliter legisse suspicandi sunt, reddunt enim τήκει ἀρχάς, Arab. liquefacit principes, legerunt ergo כַּחֲכָה ראש pro כַּחֲכָה כָּאֵשׁ. Rupes, quae pro inaccessis habentur munimentis, cfr. Ps. XVIII, 3, diruuntur ab eo, seu prae eo, ממנו, i. e. prae incessu eius et increpatione, cfr. Ierem. XXIII, 29. Vertimus nos „rupes ruptae sunt“, ut paronomasiam imitemur, quae intercedit inter נתכה, נתצו, et הצורים, praeeunte MAURERO.

„Tanta igitur cum sit dei potentia, ut eam ne solidissimae quidem mundi partes sustinere possint, num illi vos Ninivitae resistere poteritis? num vos adversus illum muris, fossis, turribus, praesidiis ita instructos putatis, ut illius impressionem hostilem avertere possitis? Quid enim homuncio mortalis etc.“ GUALTHERUS hom. II in Nach. Sic nostro in commate ab universi iudicii descriptione transitus fit ad speciem vindictae de Assyriis sumendae praeformandam v. 7-11.

B. v. 7-11.

Verum enimvero iudiciis suis exercendis Dominus non id solum efficit, ut exstinguantur malefici, sed etiam ut vindicentur pii. Utrumque iam sequentibus exponitur versibus, ita, ut v. 7 agatur de piis, v. 8 de hostibus, v. 9 de utrisque, v. 10 rursum de hostibus, v. 11 de piis. Vindex enim et iustus iudex Dominus est bonus idem, nec destituit eos, qui suam in eo fiduciam ponunt v. 7; Ninum autem, sicuti hostes suos omnes, funditus exstinguit v. 8. Quare ne timeant Iudaei, ne vexentur porro ab Assyriis, cum deus, si quos evertit, ita pervertat, ut funditus intereant v. 9; nam vel spinarum instar perplexos illos necopinato ad unum omnes consumi facit v. 10, ita ut liberetur ab oppressore Iudaea. v. 11.

Ceterum omittere nequimus, sententiarum varietatem compositione etiam versuum et numero praeclare in hoc capite expressam apparere. Prima enim quasi stropha, v. 2-6, sicuti altera,

ad quam interpretandam iam accedimus, quinque versibus absolvitur, quorum membra bina bipartita quaeque sunt; ita torrentis instar omnia prosternentis decurrit; simulac ad bonitatem dei et pacem genti suae parandam ventum est, moderatur rapido cursui, et alterum tantummodo deinceps membrum in duas abit particulas, signo sakeph distinctas, alterum integrum est; veluti praeclaro cum pondere in limine statim sistitur: טוב יהוה. Quae ratio quantopere ad diversam sententiarum naturam referenda sit, dilucide ostendit v. 9, qui pro indole sua primae strophae similiore ad pleniorem et ipse verborum numerum vergit. De poëtica omnino huius vaticinii natura cfr. proll.

v. 7.

Bonus Dominus et munimento est die angustiae, et gnarus eorum, qui confidunt ei. Haec enim laeta est iudiciorum divinorum pars, quod pios, licet concutiantur et ipsi tremenda dei potentia, solatio tamen afficiant et erigant; cfr. Luc. XXI, 28. „Ista vero oppositio est sententiarum tam subita, ut solis radium aequiparet per caecas tempestatis tenebras repente effusum.“ Hoelem. טוב non adeo benignitatem exprimit, quam LXX et plerique statuunt interpretes, quam bonitatem, propius cognatam cum probitate, cfr. Ps. XXV, 8; ideo peccata condonat suis Ps. LXXIII, 1; LXXXVI, 5, et quae pollicitus iis est, certo praestat Ps. C, 5; CXVIII, 4. Ionath. addit לישראל, Ps. LXXIII, 3 secutus, nec oblitus bonitatem dei non posse experiri, nisi qui ad eius gregem numerantur. *Munimentum* seu praesidium suorum deus saepissime dicitur, cfr. Ps. XXVII, 1; XXXVII, 39; Ies. XXV, 4; Ioel IV, 6; cfr. Sach. II, 9; hic autem egregie etiam opponitur rupibus contusis. Perperam reddiderunt: fortitudo Vatabl.; robur Drus., Burk., et confuderunt מעוז cum עז; מעוז locum munitum notat Iud. VI, 26; Ies. XXIII, 4; Ez. XXX, 15. Porro refugium habent Kreenen., Ewald., pressis Schultensii vestigiis (ad Prov. XIV, 25); plane aberrant LXX τοῖς ὑπομένουσιν αὐτόν, Hieron. et confortans etc. *Dies* angustiae ex utriusque testamenti usu pro tempore dicitur, cfr. II, 4; III, 17; צרה calamitas, alias coniuncta cum צוקה all. Ies. XXX, 6; Zeph. I, 15; iisdem fere verbis idem dicit Ierem. XVI, 19, copiosius Ps. XXXVII, 39, cuius loci nescio an meminerit vates, eo

magis, cum duos etiam psalmorum locos relatos hoc versu reperiamus. — Verbo ידע nimium tribuerunt, qui amando, curando, tuendo reddiderunt, Drus., Castalio., Gesen. thes., ea enim notio nullo flagitatur exemplo; parum etiam viderunt ii, qui solam cognoscendi vim retinuerunt Chald., Burk. (qui insuper notores veterum, *γνωστῆρας*, in comparationem advocat), nec non Mich.: „novit tanquam cordium scrutator;" nam licet praeclare disputet Hengstb. ad Ps. I, 5, cognitionem satis esse, nisi forte cum ea inclusus in coelo deus sit; quae desint, ea ex indole eius et natura sponte consequi, — non tanti tamen facerent ll. ss. notum esse Domino Gen. XVIII, 13; Am. III, 2; Ps. CXLIV, 3, et novisse deum Ps. LXXIII, 11, nisi latius paullo pateret: imo non mentem solum spectat hic noscendi usus, verum omnem animum et ingenium, sicuti bene vidit Gousset. lex. p. 590: „saepe designat aliquod amicitiae vinculum, cum scilicet rationem alicuius habes, aliis dicens: nescio vos, ut Christus loquitur, connotatque illius, quem amice respicis, reciprocam in te propensionem." Est ergo tale quid: agnosco aliquem esse meum et ad me pertinere; cfr. Hos. XIII, 5; Am. III, 2; 1 Cor. VIII, 3; Ioann. X, 14; is enim si est sensus, vere dicit S. Paulus 2 Tim. II, 19, bene esse de singulis hominibus aeque ac de universa ecclesia, ubi firmiter haec duo stent tanquam fundamentum: „novit Dominus suos, et: recedat ab iniquitate, qui Domini nomen appellat." — Novit autem deus, qui confidunt ei, neque vero „qui confugerunt ad eum" (Mich., Burk., Hoelem.), cfr. Hengstb. ad Ps. II, 12. De statu constructo cum praepositione composito, veluti חוֹסֵי בָךְ Ps. V, 12, diximus supra ad v. 5. Refert autem hoc membrum versus aperte Ps. I, 6 „novit viam iustorum," et II, 12. „beati omnes qui confidunt ei," quod licet non de patre sed de filio praedicetur, huic tamen ob divinam et naturam et dignitatem tribuitur.

Ceterum hic versus non solamen solum habet grave, praesertim cum paucis annis ante hac confidentia dei vindicati essent a Sanheribo, sed gravem etiam commonitionem, ne ab ullo alio Iudaei nisi a deo suo sperarent salutem in praesenti tribulatione. Quid enim saepius, quid severius populo improbrant vates, quam quod in curribus et equis, neque vero in Domino vivo suam ponerent fiduciam et spem auxilii contra hostes. Nullam autem hic praedictionem, sed nudam dei descriptionem a bonitate et

solita eius demonstratione esse, bene defendit MARCKIUS adversus DRUSIUM qui Iudaeorum praesidium contra Sanheribum, et COCCEIUM, qui pro solita ratione sua per omnes hosce versus Christianorum salvationem a Iudaeorum saevitia vidit.

v. 8.

Et inundatione transeunte consummatum reddet locum eius, suosque inimicos persequetur tenebris. Copulae sensum non male reddiderunt IUN., TREMELL. „itaque", cum hostium perniciem confestim e Domini tutela consequi significet. Praepositio בְּ hoc loco instrumentum indicat [1]. שֶׁטֶף inundatio Iob. XXXVIII, 25, sicuti creberrima in ll. ss. similitudo intercedit inter aquarum molem et miseriam Ps. CXXX, 1; XLII, 8, respecto plerumque diluvio Ps. XXXI; Dan. XI, 22; Ies. LIV, 9, si transfertur ad calamitatem omnia destruentem et perdentem Ps. XXXII, 6; Ies. XLVII, 2; Dan. IX, 26. 40; inde ad caussam iudicii, dei iram Proverb. XXVII, 4; tum vero ingentes quoque exercitus terram inundantes refert Dan. XI, 12. 26. 40; comparantur Euphratis inundationi Assyriorum exercitus Ies. VII, 20; VIII, 7; Ier. II, 18. Ceterum haec versus verba olent memoriam aliquam loci Ies. X, 22. 23: „consumtio decreta est, inundat iustitia, nam caussa absoluta et decisa est." Inundatio transire dicitur, quoniam summo cum impetu decurrit, et obvia quaeque prosternit (VATABL.), nec hic illic solum, sed passim vagatur; verba עָבַר et שָׁטַף synonyma cfr. Ies. VIII, 2. 18; Ps. XLII, 8; DELITZSCH. ad Hab. III, 10. Alii male reddunt: et cum inundatione transiens: CALV., DE DIEU, MARCK., HESSELBERG., HOELEM., qui caussam etiam instituti addit, quod שטף „feminei generis esse testetur מְקוֹמָהּ, locus is, quem aquae illa effusio pervaserit;" at vero primo loco suffixum ה inundationis locum notare nequit, quae certam omnino et quasi definitam limitibus regionem non habet, sed ad Ninum referri debere probabimus; tum vero femininum verbi genus nullo demonstratur exemplo. Syr. confudit

1) „Jede Nebensache, welche die Handlung begleitet, und jedes Werkzeug und Mittel kann mit בְּ hinzugefügt werden . . ., sofern keine selbstständige, sondern die Handlung begleitende und ihr dienende Sache gemeint ist." Cfr. Ew. § 217 f, 3.

ܥܒܕ cum ܥܒܪ, cum exhibeat: et inundatione operatus est consumtionem. Ceterum inundationis transeuntis imagine exercitus magni adventum aperte praedici existimant VATABL., HITZ., quibus respondit iam MAUR., propter seq. tenebras praeferendum esse sensum calamitatis ineluctabilis.

כלה semper esse fem. adi., consummatum aliquid, neque vero consumtionem, uti interpretes cuncti exhibent, dudum probavit HENGSTB. Christol. II, 513 ss., contra quem, quod monuit HAEVERN. Ez. p. 148, עשה esse exsequi, non magni momenti esse potest. De formula iudiciali כלה ונחרצה cfr. VITRINGA ad Ies. X, 22. מקומה, locum eius, Nini esse locum, recte plerique viderunt interpr., praeter HOELEM. (v. supr.) et HESSELBERGIUM, qui mirum dictu, suff. refert ad כלה! At, unde quaero intelligi omnino posset, respici Ninum, nisi monere titulus videretur? cfr. ad v. 1. Omni enim caret analogia, quod profert BURKIUS, respici eam hic et v. 11 per anastrophen, nomine urbis in ipsa prophetia non expresso; „affectus, inquit, et vis spiritus urbem quasi praesentem habet, adeoque nominare eam non habet necessum;“ in quo quod neglexit II, 9, omittamus nunc; at eo usque non negligenda certe erat Spiritus S. providentia, quippe quae non Nahumi solum sed omnibus prospexit temporibus, nec incertos per duo integra fere capita sinit lectores esse, quemnam respiciat tam grave vaticinium, donec praetereundo quasi nominetur; nihil est enim ad II, 9 usque, unde possit divinari, quam gentem, quam urbem indigitet vates. Sic primam illam inscriptionis partem, quam spuriam esse haud pauci contendunt, nostro versu exposci et flagitari apparet. — Quaerendum est autem, quid sibi velit locus Nini, et quomodo discernatur inter urbem et locum eius. CALVINUS solum intelligit, q. d. „non tantum terrae superficiem evertet, sed et ipsum solum,“ ita ut Sodomae et Gomorrhae similitudo aequetur — id quod durius et dictum et cogitatum est. Satius est sequi TARNOVIUM, bene monentem: „Nota quod in s. s. saepe rei alicuius locus perire dicitur, cum ipsa perit cfr. Dan. II, 35; Apoc. XII, 8; XX, 11;“ sic HITZ., MAUR. ipsam urbem intelligunt, idque recte, nam si eversa urbs est, locus iam non huius urbis est, sed alius vel nullius; id quod ad sententiam fere redit MARCKII, qui confert dicendi genus: locus eius non iam novit eum Iob. VII, 10; VIII, 18; XX, 9. — Nostra versio e veteribus fere apud solum HIERON. et SYMM. re-

peritur, LXX τοὺς ἐπεγειρομένους καὶ τοὺς ἐχθρούς, Chald. THEODOT. legisse videntur מקימיו, quos sequuntur DATHE, IUSTI, GRIMM, MIDDELDORPF, contra quos FRAEHN l. l. p. 14 ss. apposite monet, הקים esse excitare; legunt porro מִקָּמָיו, et מן accipiunt pro genitivo, male intellecto מן II, 10, AQUILA ἀπὸ τῶν ἀνισταμένων, PAREAU, KREENEN.

Iam vero vaticinium hic editum ad verbum evenisse docent KALINSKY a. h. v. et KEITH (Die Erfüll. der biblischen Weiss. Stuttg. 1844 p. 259), cum DIODOR. SICUL. Bibl. II, 26 tradiderit, post diuturnam Nini obsidionem Tigridem, multis imbribus magnopere exauctum, perruptis muris magnam urbis partem inundasse; tum vero regem Sardanapalum, vetus quoddam oraculum confectum ratus, quo non everti urbem praediceretur, nisi fluvius inimicus urbis factus esset, sese cum mierculis etc. cremasse. Cui sententiae primum officit, quod ex altero versus membro, et ex v. 10 all. apparet, de inundatione vatem dicere per imaginem; deinde quod Diodorus de oraculo verba facit, quod et antiquum esset —, Nahumus autem vix sexaginta annos ante expugnationem Nini vaticinatus est — et eiusmodi omnino est, ut nulla cum hisce verbis contineri ratione appareat. — Idem deinde KEITHIUS p. 258 ss. et nonnulli alii alteram membri partem ita confectam contenderunt, ut locus, ubi Ninus fuit olim, reperiri omnino non posset, LUCIANI fere ignorantia commoti. Is enim in dial. Ἐπισκοποῦντες t. I, p. 292: ἡ μὲν Νῖνος, inquit, ἀπόλωλεν ἤδη, καὶ οὐδὲν ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς, οὐδ᾽ ἂν εἴπῃς, ὅπου ποτ᾽ ἦν; et fatetur doctissimus BOCHARTUS Phal. IV, 20 p. 284, in loco Nini praecise definiendo frustra viros doctos se fatigare. At aliorum testimoniorum quasi silva[1] surgente nunc e terra Nino egregie confirmata est et comprobatur in dies praeclarius. Quid ita? fac aliquamdiu ignotum fuisse Nini situm, tamen in ipsis verbis nostris non inest, locum eius nusquam debere inveniri posse; nam כלה est absolutum, consummatum, et locum alicuius absolutum reddere mere est: facere, ut iste locus iam non certae illius urbis, eo usque extantis, locus sit.

Quid autem, cum evertatur urbs, patientur incolae? *inimicos*

---

1) Collegit et exposuit permulta TUCHIUS l. l., brevi conspectu proposuit WEISSENBORN l. l. p. 16 ss.

suos deus *persequetur tenebris.* Quaeritur, utrum subiectum enuntiati sit חֹשֶׁךְ, an lateat in יְרַדֶּף. 1) Qui illud statuerunt LXX CALV., I. H. MICH., BURK., MAUR., „tenebrae persequentur hostes eius," sine idonea caussa recedunt a subiecto antecedente et insequente, nec respiciunt lineam Makkeph, quae arctius utrumque ad unam copulat notionem. 2) Alterius sententiae patroni in duas rursum abeunt partes, prout verbo חֹשֶׁךְ vel instrumentum vel locum indicari putant: a) IONATH. EWALD.; „persequetur in gehennam;" quem sensum nonnullis locis verbo subesse non negamus, cfr. Ps. LXXXVIII, 4; Iob. XV, 21 ct., ubi nexus sententiarum dilucide suadet; at vero ubi absolute positum est ut nostro loco, vix specialem illam habet significationem, pro ea quae tam late patet in V. et N. To., similitudinem dico rerum adversarum et calamitatum, peccati et mortis, cfr. Ioel. II, 2 all. b) Restat igitur, ut חֹשֶׁךְ cum LUTHERO, MARCKIO, KALINSK., HOELEM. habeamus pro accusativo, latius illo patente cfr. Ew. § 283 a, et instrumentum notante, veluti Ios. VII, 25; Ps. LXIV, 8 ct.: hostes suos persequetur tenebris, neque vero, ut fuerunt qui redderent: „efficiet, ut hostes suos persequantur tenebrae," nam Piel verbi רדף vix alias reperitur caussativo sensu dictum, sed eandem habet vim quam Kal, non omissa tamen exaggerandi ét iterandi potestate, cfr. Ew. § 120 b.

v. 9.

Quid cogitatis de Domino? consummatum ille redditurus (est); *non consurget bis angustia.* Verba versus absolvamus primum, deinde examinemus sententiam. Genuina v. חשב potestas est supputandi cfr. GESEN. thes. s. h. v., unde derivantur deinceps aestimandi, imputandi, cogitandi, ratiocinandi; quae omnes, praeter imputandi vim, continentur f. Piel. Ubi de meditando et ratiocinando valet, construitur cum pr. עַל Gen. L, 20; Dan. XI, 24 all., cum אֶל praeterea ter tantummodo Hos. VII, 15; Ierem. Ierem. XLIX, 20; L, 45, et nude transferendum est: meditari de aliquo. — Partic. עֹשֶׂה: ille talis est, qui consummatum reddat. — פְּעָמִים duos gradus proprie, i. e. bis; cfr. semel פַּעַם אַחַת Ios. VI, 3, ter Exod. XXIII, 7; cfr. 1 Sam. XXVI, 8; 2 Sam. XX, 10. — קוּם haud raro hostili sensu dicitur (cfr. קָמַי inimici mei Ps. XVII, 40. 49.), et transfertur ab hoste ipso ad

bellum Ps. XXVII, 3; Hos. X, 14, ad onus Prov. XXIV, 22. — LXX satis singulariter sic habent: *οὐκ ἐκδικήσει* (quasi sit fut. a. v. נקם) *δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει.*

Iam duae oriuntur quaestiones: 1) Quosnam interrogat vates? 2) Quisnam passus est angustiam et a quo antea parata est? Ad primam quaestionem interpretes fere omnes respondent: Assyrios nimirum, „quid molimini contra Dominum?" occupantem faciunt prophetam tacitas Assyriorum obiectiones, „quasi vanae aut sine effectu futurae essent Domini comminationes, aut, si quod paterentur damnum, facile tale quid posse reparari." In qua sententia a) primum displicet, quod אל sensu adversativo accipiendum existimant; nam etsi חשב אל tribus illis locis supra laudatis habeat hostile aliquid, eiusmodi tamen sensus potius quam significatio praepositionis est; אל designat directionem facti et obiectum, cfr. 2 Sam. I, 24; Ps. LXII, 1 (cfr. Ew. § 217 c); quare nihil aliud est quam: cogitare *ἐπί τινα*; nec Mich. IV, 3 alia vis est, quam: non portabunt gentes altera ad alteram gladium. Ceterum confundi quidem inde a Iesaiae tempore interdum אל et על, negare nolumus; ita tamen fieri plerumque solet, ut על deminuatur in אל, cum distinctam magis indicet directionis notionem, neque vero אל amplificetur in על; a qua regula unice excipiendum est Ez. XVIII, 11; nam Ies. IX, 8 quod affert Ew. § 217 i, p. 416 mere audit: quod attinet ad fratrem suum, non parcit[1]. b) Accedit, quod ad v. 14 usque appellati semper Iudaei sunt, Assyrii cum tertiae personae nota afferuntur. c) Postremo חשב אל hoc loco aliud esse quam ח׳ על v. 11, e commutatione praepositionum dilucide apparet[2]. Interpellatos ergo Iudaeos censemus, uti placuit Marckio, ita disputantem secuto Cyrillum: *ἵνα τοίνυν μὴ καὶ αὐτοῖς τοῖς ἴσοις περιπεσεῖσθαι κακοῖς προσδοκήσαντες εὐάφορμον ἤδη ποιοῖντο τὴν καταδρομὴν, τὴν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς ἀλλοφύλους, μονονουχὶ καὶ ἀναπυνθάνεται, λέγων, τί ἄρα λογίζονται, καὶ φρονεῖν ἐγνώκασι περὶ τοῦ κυρίου, σκληρὸν ἄρα φησὶ καὶ βαρύμηνιν ὑπάρχειν οἴεσθε τὸν τῶν ὅλων θεόν· κτλ.*

---

1) Marckius apud adversativam vim praep. אל remanet, atque adeo satis incommode intelligit sententiam: male et indecenter agunt Iudaei, si diffident domino.

2) Perperam Hieronymus consumtionem versu antecedente Assyriis praedictam iam ad Iudaeos refert.

2) Ad alteram quaestionem, quinam patiantur calamitatem, plurimi rursus interpretes: Assyrios, respondent; reliqui, MENOCHIUS, TITINUS, MARCK., MAUR., HOELEM. probe ad Israelem referunt, quibus non dubitamus assentiri. Nam a) altera illa stare omnino nequit sententia: „hac vice ita vos affliget una plaga Deus, ut repetitione opus non sit, una plaga vos planissime pessumdabit“ (QUISTORPIUS, FRAEHN., UMBREIT., EW., HITZ.); vel, ubi e BURKII sententia alludatur ad Ionae orationes: „non iterum surget poenitentiae angustia, nunc ruet exitium (!)“; vel insuper, si ad priorem illam, quam aiunt, factam ab Arbace expugnationem respiciatur: ex ea quidem respirastis, nunc plane exstinguemini (KALINSK.). Tale quid enim idoneo sententiarum nexui plane contrarium est; quam atrocibus ab initio verbis praedicatum est, quomodo iratus Dominus inimicos suos funditus evertat, — et quam languét, si dicentem nunc feceris: non bis in calamitatem incides, sed statim te delebit? b) Tum vero respiciendi erunt v. 12 et II, 1; ubi cum aperte Iudaeorum calamitates ab Assyriis paratae iam in eo esse ut desinant praedicentur, haec quoque verba ad eandem exigenda normam erunt; denique צרה in hoc versu relegat legentes ad צרה v. 7, quae de Israele valebat.

Hic igitur idoneus verborum sensus est: quid vos, Iudaei, cogitatis de Domino? quidnam exspectandum ab eo existimatis? putatisne vos iam ira sua fore exstinctos? imo vero, Assyrios exstinguet ille atque delebit! ne opinemini, cum nuper in angustias et gravissima tempora incideritis, redire eadem ab iisdem hostibus; imo, numquam contra vos reducet agmina sua, ipse confestim erit devastatus et sublatus e medio! Quae cum ita sint, omne Nahumi vaticinium hisce verbis contineri et comprehendi videmus, quibus anxios et sollicitos Iudaeorum animos consolaretur, desperatione deiectos ad spem et confidentiam revocaret.

Iam vero, si ad Israelem totum respicere versum intelligimus, quaenam illa angustia est, quae semel quidem pressit populum, nec repetetur? Non posse nisi de Sanheribi in terram sacram irruptione cogitari, recte vidit MAURERUS; idemque fere hebraeus HIERONYMI magister: „non tradet vobis Iudam et Hierusalem, sicut tradidit vobis decem tribus et Samariam;“ eiusmodi igitur tribulationem non iterum adversus Iudaeos consurgere dicit vates, nec unquam Assyriorum etiam exercitus ante portas urbis collo-

cari. At erunt nimirum, qui cum KALINSKIO respondeant (p. 245): „his refragatur historia, quae novam illis sub Assarrhaddone contigisse angustiam utique testatur;" et fuisset nimirum Manassis abductio gravissima calamitas, nisi sollicitis Iudaeorum animis et asportationem captivitatemque pertimescentibus gravior fuisset visa, quam erat revera.

Audiamus denique LUTHERUM haec disputantem: „Sophistae omnes hunc locum tractarunt. Torsit etiam omnes mirum in modum. Fuit autem eis occasio innumerabilium quaestionum. Tractatus est etiam a Magistro sententiarum. Sed nos illa omnia nihil morabimur. Breviter hanc puto esse genuinam sententiam, quasi dicat: Satisfecisti tu, rex Assyriorum, devastasti regnum Israel; satis iam imperasti, iam non adiicietur tribulatio alia, non sinam ut pergas devastando etiam Iudam, siquidem liberabit eum Dominus a tribulatione, quae iam imminet, alia vero eos non comprehendet."

v. 10.

Nam usque ad spinas perplexi, et ut vino suo inebriati, devorantur, stipulae aridae instar, turmatim. Priorum verborum imaginem refert fere variarum interpretationum conspectus, quae tot exstiterunt, ut enumerare omnes, praesertim arbitrarias multas et futiles, longum videatur; multa vv. dd: commenta congessit MIDDELDORPFIUS a. h. l.; KREENEN a. h. l. emendationum textus temere adhibitarum acervum exhibet.

Exponitur laetissimae promissionis v. 9 caussa: non iterum angustia ab Assyriis parabitur Israeli, *nam devorantur* ct. עַד־סִירִים, *usque* ad spinas, comparative dictum, adeo implexi, ut spinas perplexitate aequent (MICH.); cfr. 1 Par. IV, 27 all.; v. s. GESEN. thes. s. v. Spinarum similitudo refertur ad animum inimicum et adversarium, cfr. Num. XXXIII, 55; Cant. II, 2; Mich. VII, 4; Ies. XXVII, 4: Ez. II, 26; XXVIII, 24 [1], quo in genere tertium, quod aiunt, comparationis est „firmatum callidumque nocendi studium" (MARCK.), in quo latet simul periculum, quod

1) FRAEHNIUS l. l. p. 18 aliquot eiusmodi exempla contulit a SCHULTENSIO ex Arabum scriptis collecta, veluti ex Hamâsa: „et infringimus spinam sedamusque aestum eorum (hostium), donec defervescat."

contactu eorum paratur; „Widerstreben hilft nicht; seien sie auch gar wie Dornengebüsche verflochten, kraus, hinterlistig, und schlau, so dass man ihnen nicht nahen, mit ihnen nichts zu thun haben mag.“ (Ew.) Apud hunc sensum satius est remanere, quam accipere alterum, a IUNIO, KIMCHIO, RIBERA, BURKIO, UMBREITIO probatum, quibus vilis et abiecta impiorum conditio videtur significata, quippe qui subito spinarum instar igne divino consumantur; quemadmodum habetur 2 Sam. XXIII, 6. 7: „at nequam — ut abiecta spinarum sepes omnes sunt — et combustione ignis comburuntur omnes in loco suo.“ KIMCHIUS: „accidet illis, quod spinis perplexis et implicatis, quas cum solvere non potest agricola, simul omnes in ignem coniicit: futurum est, ut simul neci dedantur.“ Altera explicatio et clariore exemplorum evidentia commendatur, et eo, quod סבכים, uti e parallelo סבאים apparet, non referendum est ad spinas, sed ad Assyrios. Improbanda est igitur interpretatio LUTHERI: „Denn gleich als wenn die Dornen, so noch in einander wachsen und im besten Saft sind, etc.“ — Amplificatur imago verbis succedentibus: *et ut vino suo inebriati.* סבא potum significat vel vinum, tanquam potum praecipuum, cfr. Ies. I, 22; Hos. VIII, 14 (vinum pro vini effectu dictum), neque vero compotationem (Ew.); vinum autem *eorum* dicitur, quo solent perpotari. Nec vero omissum est מ caussale, quod aiunt, sed accusativi species est, quam vidimus v. 8; cfr. Ies. XXIX, 9: שכרו ולא־יין. Qua similitudine non tale quid innui existimamus, quale vidit EWALDUS: „gleichsam in Wein ersäuft, so dass das Feuer ihnen wie allem Nassen nicht schaden zu können scheint;“ nam nec immersi notio, quam infert verbo סבא, idoneis probari exemplis potest, nec natura huiuscemodi imaginis magnifica satis atque ponderosa est. Imo superbia et temeritas indigitatur Assyriorum, qui adeo tutos sese atque invincibiles esse iactent, ut ne cavendum quidem sibi ab hoste opinentur, ideoque comparantur iis, qui in commissationum lascivia bono securoque animo indulgeant; cfr. Prov. XV, 15: „bonus animus quotidiana est compotatio.“ Quae sententia mirifice comprobatur iis, quae DIODORUS II, 26 de expugnatione Nini tradidit: Hostibus ter profligatis, factum esse ut rex Assyriorum, Bactrianorum defectionem ignorans et prioris fortunae benignitate elatus, ad otium sese ignavum converteret, suisque ad festas epulas instituendas, magna victimarum et vini

aliorumque ad hoc utilium copiam subministraret [1]. Toto igitur exercitu conviviis indulgente, Medos, per transfugas de negligentia et ebrietate hostium edoctos, noctu ex improviso illos oppressisse, atque ita post trium annorum obsidionem urbem expugnasse et solo aequasse. Quibus si habenda fides est, vatis verba translato sensu enuntiata ad literam apparent confecta.

Quo igitur securiores sunt et superbiores, eo debellantur facilius; id quod imagine rapidae combustionis exponitur. *Consumti sunt* (אֻכְּלוּ praet. proph., ad notandam vehementiam forma Pual expressum) *velut stipula arida*, cfr. Ies. V, 24; XLVII, 14; Ioel II, 5; Obadi. v. 18 (coll. SCHNURRERO a. h. l.); Sach. XII, 6, qua et vilitas eorum contemnenda significatur, cfr. Ps. I, 4 all., et amplificatur spinarum similitudo, quibus proprium iam ipsis est, quod celeriter igne consumuntur. Absolutae autem internecionis imago augetur etiam extremo versus verbo מָלֵא, quod pro adverbio accepimus plene, plenis acervis, turmatim, cum ION., SCHMID., I. H. MICH., GESEN. thes., MAUR. ita ut respondeat quodammodo v. סְבֻכִים. Alii nihil designare vocem putant, quam: perfecte, penitus, FRAEHN.[2], HITZ.; verum, quia reliquis versus sententiis satis iam significatum videtur, funditus tolli Assyrios, satius habemus, h. v. magnitudinem et universitatem excidii exprimi. Referenda autem adverbii ratio ad totam enuntiationem videtur, neque ad solam ariditatem restringenda, uti censuerunt Iudaei plerique (cfr. FRAEHN. p. 20), DE DIEU, Ew., UMBR. Satis impedite HOELEM. vertit „voll Maass", et vocem respondere v. כְסָבְאָם סְבוּאִים asseverat, sicuti stipula arida referenda ad spinas esset. — At non defuerunt, qui adiectivum esse censerent מָלֵא, iique plerumque retulerunt ad stipulam, tanquam plenam, „quae sic ad maturitatem suam pervenit, ut fructus plenitudinem adhuc habeat in se cum quo omni simul per flammam consumatur," MARCK., sim. THEODORET., RASCH., KIMCH.,

1) Honestius eiusmodi compotationis regiae initium proponitur in monumentorum tabulis (cfr. BOTTA l. l. pl. 76, BONOMI l. l. p. 187 ss., GOSSE l. l. p. 504 ss.), ubi eunuchos largiter haurientes et afferentes pocula conspicimus, hospites autem ad tabulas sedentes sibique invicem propinantes.

2) Non temere in comparationem vocat Ierem. IV, 5; XII, 6; sicuti observat SCHULTENSIUS Arabum dicendi genus جمل وملا fecit et implevit, i. e. accurate fecit.

Abarb., Cocceius; at, ut omittam, idoneo id pondere carere, stipula crematur ubi iam excussa est.

Veteres versiones satis in hoc versu aberrarunt. LXX: *ὅτι ἕως θεμελίου αὐτοῦ χερσωθήσεται, καὶ ὡς σμῖλαξ περιπλεκομένη βρωθήσεται, καὶ ὡς καλάμη ξηρασίας μεστή,* interpretante Hieronymo: „quia usque ad fundamenta sua redigentur in vepres, et sicut volvola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena:“ Chald. Syr. pro סירים legisse שרים videntur, exhibent enim principes, et עוד pro עד; Syr.: „propterea quod vel principes eorum refractarii sunt, et in ebrietate sua ebrii, comederuntque et impleverunt se stipula arida.“

v. 11.

Ex te abiit, qui cogitavit pravum contra Dominum, consiliarius nequitiae. Hoc versu, quo altera clauditur stropha, liberatio gentis sacrae et vindicatio ab hoste comprehenditur, quippe quae ex internecione eius v. 8. 10 confestim sequatur. At vero ad nostram memoriam usque maxima interpretum pars, ne dicam omnes [1], non Israelitas, verum Assyrios faciebant appellatos, hoc fere sensu: ex te enim, Ninive, egressus est, etc., ita ut excidii notaretur caussa, fluctuabant solum, essetne vertendum: ex tuis portis profectus est, יצא sensu hostili (cfr. prol. ad Gen. X, 10), an: ex te ortus est. Unus Hoelemannus, quod scimus, non Ninum sed Israelem haec spectare, contendit, et יצא esse: abiit ex te, reliquit te; idque rectissime, ut nobis quidem videtur. Licet summum eius argumentum probare nequeamus; nam cum diceret: nominatim interpellari a vate יהודה II, 1 et מלך אשור III, 18, illam feminino semper, masculino hunc exarari genere — ea quasi regula uno illo infringitur מקומה v. 8; nec verisimile est, ubicunque appellatur Assyrius, ibi solum indicari regem, imo universum plerumque populum, unius personae cogitatione comprehensum. Nos autem eo praesertim ad nostram adducti sententiam sumus, quod vv. anteced. de Nino et de Assyriis agitur cum tertiae personae nota, nec secus v. 12; contra,

1) Coccеii commenta, qui sicuti ad eam inimicitiam, qua Christianos exercebant Iudaei, omnia deinceps refert, ita haec quoque verba indigitare Hierosolyma opinatur, satis superque redarguta sunt a Marckio.

in altero membro v. 12 ad Israelem sine dubio attinet וְעִנִּתִךְ לֹא אֲעַנֵּךְ', et reliqua suff. fem. v. 13; sed v. 14 ex vivido orationis genere sub altera persona cogitandi hostes erunt, ideoque ad notandam vicem primo loco scribitur וְצִוָּה עָלֶיךָ; haud secus in nostro versu מִמֵּךְ, in limine scriptum, oppositum esse apparet antecedentibus. Accedit, quod c. II, 1 Iuda statim cum suff. fem. 2. pers. rursus appellatur; nec omittenda est placida et tranquilla rhythmi ratio, rapidam vehementemque versus antecedentis numerum secuta; qua secundum v. 5[ti] et 6[ti] similitudinem eadem sententiarum commendatur vicissitudo. יָצָא eodem sensu de hostibus, terram eo usque opprimentibus, iam vero recedentibus legitur Ies. XLIX, 17 (cfr. GESEN. comm. a. h. l. contra VITRINGAM disputantem), cfr. Ier. XLIII, 12; X, 20. Praeteriti, sicut אֻכַּל v. 10, prophetica est ratio, quare LXX ἐξελεύσεται. Atque hunc quidem Assyriorum receptum non dubitaremus, quin proprio sensu dictum esse statueremus, si probari magis posset STARKII opinio, ex qua Manassis tempore Assyrii in urbibus Philistaeorum stationes habuissent militares, quae in Iudaeam quoque huc illuc vagatae Manassen cepissent (quo referri etiam posset, quod rex Babylone reversus castella sua communire valuit). Verum quoniam hanc sententiam improbandam vidimus in proll., ita hunc receptum interpretabimur, ut Iudaeos, ab Achasi tempore ditioni eorum et potestati magis minusve obnoxios, iam prorsus ab iis vindicari existimemus, nec iam exercitibus eorum vexari; cfr. II, 1. 14. Illud tamen ex his verbis certo consequitur, cum scriberet Nahumus, non solum timendum etiam Iudaeis fuisse ab Assyriis, verum etiam ea cum iis contentos necessitudine, quae ditionem et servitutem quodammodo aequipararet — id quod in regis captivitatem egregie quadrat.

Egressus est autem e Iudaea *is, qui cogitavit pravum contra Dominum.* De vv. חשב et על cfr. ad vv. 8 et 9. רעה promiscue positum cum רע, pravum, malum notat; cfr. simile dicendi genus חשבי רעתי Ps. XXXV, 4. Verba haecce ad Rabsakis insolentes et atroces iactationes plurimi referunt; at primo loco haec vox patet latius, deinde agit vates de iudicio finali super eam gentem, quae tamdiu Israelem quasi calcaverat pedibus; omnem ergo Assyriorum inimicitiam, populo dei atque adeo

deo ipso comprobatum, intelligimus [1]. (CALOV., ROSENM., HITZ.) Hoc enim illud est proprium regnis mundanis, quod odio persequuntur Israelem, non ipsius tantum caussa, sed maxime, quod pro fictitiis idolis suis deum illi colunt unum et verum; ideoque occulta et summa inimicitiae caussa est defectio et contumacia contra Dominum. — יועץ בליעל is, qui molitur consilia nequitiae; nam בליעל, cuius varias notationes congessit DAN. HEINRICI (Nahumus pacificus a. h. l.), plane nostrum est: Nichtsnutzigkeit, cfr. Deut. XIII, 14; XV, 19, unius ingenii specie comprehensa 2 Sam. XXIII, 6; Iob. XXXIV, 18. Temere GESENIUM, sicuti hic, ita Ps. XVIII, 5 defendere perniciei sensum ostendit HENGSTB. a. h. l.; insuper apud usitatam remanere potestatem nostro loco, monet II, 1,

---

Quae cum ita sint, finem huius particulae v. 6-11, redire ad initium videmus, atque adeo salutem Israeli vindicandam primum in hoc genere locum habere, licet regni mundani destructio et eversio, quae remedium illius atque caussa est, maxime cadat sub oculorum conspectum.

C. v. 12-14.

Extremis capitis versibus brevis et succincta divini consilii continetur declaratio, ipsissimis Domini verbis distinctius expressa. Assyrii in summo potentiae fastigio evertentur, nec iterum ab iis affligentur Iudaei (v. 12); imo, a vinculis eorum et servitute nunc liberabuntur (v. 13), Assyrium nomen una cum idolorum simulacris funditus delebitur (v. 14).

---

1) UMBREITIUS apposite, mutatis mutandis asseverat: „Um die Nothwendigkeit eines so furchtbaren Gerichts über Ninive recht eindrucksvoll hervorzuheben, drängt er die unübersehbare Menge der Vielen, die, aus ihr hervorgehend, Böses sannen gegen Jehovah, in eine einzige Persönlichkeit zusammen, die er vorzugsweise den Rather des Verderbens nennt, als wäre es der König der Ruchlosigkeit selbst.“

v. 12.

Sic loquitur Dominus: licet integri et ita multi sint, ita quoque tonduntur, et evanescit — et licet afflixerim te, non affligam te amplius. Illustris interpretum dissensu versus, eo maxime, utrum ad Iudaeos an ad Assyrios vel utrumque membrum, vel alterum solum referendum sit. Nos, quid e stabilitis usu verborum notionibus eliciamus, videbimus. Sollenne vatibus dicendi genus כֹּה אמר ה׳, licet omnia, quae praedicant, instincta divinitus sint, tamen iis, quae sequuntur, praecipuum pondus et gravitatem addit, simulque animos metu perculsos ad spem salutis fortiter amplectendam divina excitat auctoritate. שלם in coni. Kal unam habet potestatem: integrum esse, nec secus adi. שָׁלֵם eum notat, cui nihil deest, integrum; cfr. exempla probantia multa apud Goussetium p. 1645 ss. Afferunt quidem Gesen. Handwb. et Maur. Handwb. notionem pacifici, praesertim ubi legatur ש׳ עם־ה׳, in pace cum deo vivere; at monuit iam Keilius ad 1 Reg. VIII, 6; XI, 4; XV, 3. 4 significare potius animum soli Domino deditum, nec inter seculum deumque suspensum; idemque sensus praeferendus est, ubi deest quidem עם־ה׳, sed e nexu sententiarum Domini cogitatio apparet esse supplenda: 2 Reg. XX, 3; 1 Paral. XXVIII, 9; 2 Paral. XVI, 9 (XV, 17 mere est: incolumis), cfr. Ies. XXXVIII, 3: „fac reminiscaris, me ambulasse in conspectu tuo in veritate et cum animo integro;“ nec commutanda significatio est Gen. XXXIV, 21: „suntne viri illi nobiscum toto ex animo?“ Integritas autem dicitur non de moribus, sed de numero, uti patet ex sequentibus וכן רבים. Sin haec verbi notio est, referri nullo modo ad Iudaeos potest; uti perperam vertit Iunius: „si pacem voluissent (mecum), ita etiam multi fuissent, aut fuissent ita tonsi, ut transivisset (Assyrius)!“ vel, ut tolerabilius Kalinsky: „si sincere me coluissent, ideo et potentes fuissent“ etc. Neque vero cum Marckio ita referemus ad Assyrios verba: „si pacati sunt, pace alta atque hinc fluente prosperitate omni fruentes“ etc., id quod a vera vocis notione abhorrere vidimus [1]. Expedita enuntiati ratio est: licet integri sint Assyrii, et ita multi, etc. כן־וכן a Fraehnio recte sic de-

1) Fraehnius l. l. p. 30 ss. collato سلم, specie quadam arboris aculeis insigni, imaginem spinarum e versu 10mo repetitam existimat.

scribitur: et sic etiam (i. e. atque adeo) multi, etiam ita (i. e. attamen, nihilominus), licet כֵן non possit nude esse **tamen**, sed mere **ita**, cui e sententiarum nexu additur potestas contrarii. KOESTERUS (Erläuterungen der h. Schr. p. 64) cum temere primum illud כֵן interpretetur: „ita, uti nunc videmus multos esse," alterum: „ita, ut equidem constitui," planum cogitationis decursum turbat; nam illud simpliciter notat eam multitudinem, quae ex integritate exercituum consequitur, hoc autem ingentem numerum nihil valere significat contra consilii divini exsecutionem. Innumeri enim Assyriorum exercitus, et universi simul regni cives tonduntur, vel potius tonsi iam sunt, sicuti futura dei iudicia dudum praesagiente spectat animo propheta; „subito et tanquam falce messoria abscinduntur;" KREENEN. גזז Gen. XXXVIII, 13; cfr. Ies. VII, 20; Ni. nisi hic, non legitur; unde MARCKIUS mere positum pro specie activa contendit: „tonserunt scil. Israelem aliasque gentes." Mss. Erfordd. quattuor, omisso Dagesch in l. ז, exhibent Ni. v. גוז, expelluntur; quod nescio num propter sequens וְעָבַר factum sit; at multo et distinctior et ornatior imago est altera. וְעָבַר magno cum pondere potentissimam gentem evanescentem pingit, idque num. sing., quasi unus tantum homuncio tolleretur; cfr. Iob. XXXIV, 20: „et evanescit, et ecce, non est amplius!" עָבַר transire, saepe de stipula vento dissipata dicitur Ies. XXIX, 5; Ps. XLVIII, 5; neque vero ideo HITZIGIUM secutus stipulae similitudinem ex v. 10mo repetitam, hic etiam valere dixerim. Mutatio numeri offendere nequit, cfr. v. 10 et 11; facile intelligitur, nec regem solum (DRUS.) nec exercitum (VATABL.), verum omnes Assyrios una comprehensos quasi persona proponi; nec est omnino, quod neutrum praeferamus sensum: „et actum est scil. de iis" (HESSELB., HOELEM.), vel deum transire faciamus (cfr. II, 1), uno impetu hostes suos perditurum (CALVIN.), vel etiam, uti singularis exstitit KALINSKII sententia, cogitemus de Manasse in captivitatem deducendo. — Assentiunt explicationi a nobis institutae HIERON., TARNOV., GRIMM., BAUER., ROSENM., MAUR., HOELEMANNUS.

Alterum versus membrum addit, quod ex interitu hostium consequatur. ענה Pi. affligere, opprimere saepissime de populis vexatis dicitur: Gen. XV, 13; Ps. XC, 15; Zeph. III, 19 ct.; correpta scribendi ratio, bis omisso י, ab aliqua rhythmi caussa repetenda erit. Appellantur autem Iudaei, uti mutatio personae

fert; qui ad Assyrios referunt ABARB., GROT., FRAEHN., EW., HITZ., iisdem offenduntur difficultatibus ac v. 9 b. Conceditur, Iudaeos afflictos a deo per Assyrios esse; promittitur vero, numquam ab iisdem eos vexatum iri; „non quod perpetuam securitatem polliceatur, sed illius tantum temporis, et ab illis hostibus, a quibus tum obsidebantur;" HIERON. Habemus igitur eandem fere sententiam ac v. 9, defensam quodammodo ab iis, qui ob ingentem hostium potentiam suamque tenuitatem dubitare de salutis certitudine conarentur.

Errare igitur videmus, qui totum versum vel de Iudaeis dictum esse (SCHMID. all.) vel de Assyriis (EW., HITZ. all.) contendunt; sed primum membrum de his, de illis alterum valere apparet. — Versiones veteres satis confusum reddiderunt sensum. LXX: *τάδε λέγει κύριος κατάρχων ὑδάτων πόλλων· καὶ οὕτως διασταλήσονται, καὶ ἡ ἀκοή σου οὐκ ἐνακουσθήσεται ἔτι.* Syr.: „sic loquitur Dominus de capitibus aquarum multarum (ܒܪܫ ܢܣܒܘ ܡܝܐ ܣܓܝܐܐ), quae rapuerunt et elapsae sunt: et qui te exaudivi, nonne iterum te exaudiam?" qui, ut de misera literarum laceratione taceam in primo membro commissa, eo praecipue peccaverunt, quod alteram verbi ענה potestatem praetulerunt, respondendi inquam. IONATHAN id, quod vaticinii rationi latius patenti subiectum est, ipsis verbis intulit, cum sic exhiberet: אם יהין שלמים בעיצא וסגיאין באתמכנותא עממיא' „etsi fuerint perfecti consilio et multae etiam numero gentes quae congregantur ut urgeant Hierosolyma" etc.

v. 13.

Sed nunc frangam vectem eius abs te, et vincula eius rumpam. Alterum v. 12[mi] membrum longius iam exponitur. ו adversativum opponitur negationi לֹא 'א. ועתה confestim eventura significat, quae praedicentur. מוט a. v. מוט vacillare, vacillationem notat, deinde vectem Num. XIII, 23 et vectem iugi, quippe qui vacillet incedentibus bovibus, alias fere מוטה, aut adiecto הָעֹל Lev. XXVI, 13; Ezech. XXXIV, 27, aut omisso Ierem. XXVII, 2; XXVIII, 10. 12; translate dicitur Levit. XXVI, 13: „fregi vectes iugi vestri et feci, ut erecti incederetis," quem locum ex parte recitavit Ezechiel c. XXXIV, 27. מעליך ad literam: a super te, ita ut iam non premat te, sicuti accuratiores in hoc genere He-

braei sunt. LXX *τὴν ῥάβδον* legerunt מַטֵּהוּ cfr. Ies. IX, 3, quod ad similem fere sensum redit. מוֹסֵר [וּמוֹסְרוֹתַיִךְ אֲנַתֵּק nisi specie plur. non legitur; genus tum masculinum habet Ies. XXVIII, 22; LII, 2; Ps. CXVI, 16, tum femininum Iob. XXXIX, 5; Ierem. XXVII, 2. Liberatio a vinculis indicatur vel v. פתח Ies. LII, 2 all., vel v. נתק cfr. Ps. II, 3; Ier. II, 20; V, 5; XXX, 8, אֲנַתֵּק eosdem reddit sonos, quibus v. 12 habemus אֲעַנֵּךְ. — Quae verba pertinere ad Israelem, apud omnes fere constabat interpretes, exceptis THEODOR., ABARBAN., BURKIO, quibus, mirum dictu! Assyriorum et gentium subditarum a rege et oppressore liberatio est! Verum Israelem appellari, vel ex eo apparet loco, qui vatis animo obversatus est, cum haec scriberet verba, Ies. X, 27: „et illa die fit, ut recedat onus eius a cervice tua et iugum eius a collo tuo, et frangitur iugum prae oleo.“ Quibus verbis cum Iesaias Hiskia regnante perniciem Assyriorum praediceret, eaque funesta illa Sanheribi clade evenire coepissent, iisdem fere utitur Nahumus, ut totius regni eversione prorsus ea propediem significaret absolvi. Iugi autem et vinculorum similitudo omnem illam refert quasi servitutem, qua ab Achasi tempore premebatur Iudaea; nam licet annua plerumque tributa tantum pendenda erant, ea tamen pro Assyriorum arbitrio modo graviora modo leviora imponebantur; deinde, licet iussa eorum facere non semper debebant, timore tamen perpetuo angebantur, ne, quid passi ab iis Israelitae erant, ipsos quoque maneret. Ceterum, sicuti sententiam potius Iesaiae quam verba repeti videmus, ita vinculorum etiam cogitationem addidit vates, in eoque Manassis captivitatem respicere videtur, quod probe notavit KALINSKIUS; ita facta eius post praestatam poenitentiam remissio vaticinii plenius eventuri pignus erat. — Ne de decem tribuum captivitate absolvenda cogitemus (EW., HITZ.), totius oraculi indole et ratione vetamur. — Ierem. XXX, 8 vaticinium de universa gente sacra ab omnibus omnino hostibus vindicanda Iesaiae simul et Nahumi editur verbis: „et fit illa die, dictum Domini exercituum, frangam iugum eius de collo tuo et vincula tua dilacerabo, nec amplius eo servient peregrinis.“

v. 14.

Iam vero ad Assyrium se convertit vates, id quod tam ex universo versus sensu quam e suffixo masc. עָלֶיךָ apparet: *Et iussit de te Dominus: non seretur a nomine tuo amplius: ex aede dei tui exscindam* (imaginem) *sculptilem et fusilem, faciam sepulcrum tuum: nam vilis factus es.* וְצִוָּה non propheticum est praet. (GROTIUS), sed ita audit: iussit iamdudum de te Dominus, et quae iubet, ea confestim absolvuntur Ps. XXXIII, 9; dicta de te sententia est, et propediem dabis poenas. „Das macht, er ist gericht't, Ein Wörtlein kann ihn fällen." Proponitur autem Domini iussum, „ut, quod passurus es, non fortuito et absque aliquo iudice veniat, sed Deo pronuntiante patiaris." HIERON. לֹא יִזָּרַע מִשִּׁמְךָ עוֹד] *non seretur a nomine tuo amplius*, i. e. nullum seretur semen, tuo nomine insignitum, vel etiam: nulli tibi posteri nascentur. Gentem igitur et nomen exstinguendum nobiscum intelligunt MICH., HITZ., MAUR., EW.; alii de delenda memoria unice cogitant IONATH., KREEN., HOELEM., CALVINUS: „seminare e nomine alicuius est, propagare eius famam," id quod comprobari V. T. usu nequit; male deinde THEODORETUS: οὐκέτι γὰρ ἡ σὴ προσηγορία τοῖς ὑπηκόοις ἐπιτεθήσεται, nusquam enim זרע de actis regum dicitur; denique satis absone GROTIUS: „qui posthac tibi imperabunt, non appellabuntur reges Ninives,... sed reges Babyloniae etc.!" Haec autem non ad certum quendam restringenda regem esse, sed de Assyriis omnino, tanquam de uno viro, dici, recte monuit HITZIGIUS. מִבֵּית אֱלֹהֶיךָ] sic haud raro nominantur templa tam idolorum Ies. XXXVII, 38; XLIV, 13; Iud. IX, 27; XVII, 5; 1 Sam. V, 2. 5; 2 Reg. X, 23, quam Domini 1 Reg. VI, 5. 37; VII, 12; Ies. LXVI, 1 etc.[1] Assyriorum templa reperta adhuc nulla sunt[2]; sacraria tantum emerserunt, ex. gr. Nimrude in palatio caurum spectante[3]; altaria nulla relicta sunt; tabulae autem sculptae, quae operiunt muros, arbores

---

1) Eadem dicendi ratio Babyloniis fuit: biti ṣa ilui, domus deorum, cfr. RAWLINSON Analysis of the Babylonian text at Behistun p. LXXXI.

2) Palatia templorum simul vicibus functa esse e divina regis auctoritate coniecit LAYARD. Niniveh und seine Ueberreste p. 329.

3) Cfr. LAY. l. l. t. III, conclave F; descriptum est a BONOMIO, Nineveh and its Palaces p. 261 ss. (cfr. p. 267. 272), nec non a GROTEFENDIO, Anlage ct. der Gebäude zu Nimrud p. 8 ss.

sacras exhibent, Beltis s. Astartes symbola, binis circumdatas Assaraci s. Baalis speciebus, quas in V. To. Nisroch appellatas vidimus, viros dico capite aquilino et alis praeditos; praeterea regis expressa figura est, instructi ad adorationem dei, cuius ex collo quinque pendent symbola, imagines solis, lunae, stellarum, pili, quo dii fere exornantur, denique bidentis [1]; portas bini custodiunt tauri, capite humano alisque magnis praediti, quos referre Cherubinos negari nequit. Speciem universam sacrarii Assyriaci restituere conatus est LAYARDUS, the monuments of Nineveh tab. II. — Ex aede igitur idolorum exscindet Dominus simulacra eorum. כרת secare, abscindere, Hi. exstinguere, de idolis dicitur Lev. XXVI, 30; Mich. V, 12; Sach. XIII, 2. פסל proprie fundamentum sculptile indicat, cui imponitur imago fusilis מסכה, cfr. Iud. XVII, 4; XVIII, 14. 17. 20; coll. HENGSTB. Beitr. III, p. 94 ss.; deinde partis nomen transfertur ad totum, et de quavis dei imagine valet Exod. XX, 7; coniunctae haud raro apparent voces Deut. XVII, 15; Iud. XVII, 3. 4; XVIII, 17 ss.; Ies. XLVIII, 5. Est autem in his verbis egregium talionis divinae exemplum: nam Assyrios aliarum gentium simulacra et idola exscidisse, non modo e ll. ss. scimus, cfr. 2 Reg. XIX, 17 ss., verum in ipsis etiam eorum monumentis videmus, ubi tres milites securibus percutiunt simulacrum dei cuiusdam peregrini, aliique abscissas particulas ponderant [2]; eodem modo iam cum ipsorum idolis agetur. — אשים קברך diversis rationibus expositum est. 1) Fuerunt, qui sepulcrum solum esse obiectum contenderent verbi אשים, atque adeo sic verterent: parabo sepulcrum tuum (MAUR., HITZ.): id quod satis languet; 2) alii, quia accentus docent, haec verba esse coniungenda cum antecedentibus, aut ad utrumque, sculptile et fusile, retulerunt verbum, ita ut vel ad verbum superius dictum אכרית temere supplerent suff. ךָ —: exscindam te, sculptile et fusile faciam sepulcrum tuum (BURK.), vel ut tacite repetenda existimarent פ׳ ומס׳ (EWALD.), idque,

1) Cfr. LAY. l. l. fig. 78. Significatio harum imaginum, quae haud raro reperiuntur in tabulis Assyriorum (cfr. LAY. the monuments of Nin. tabb. 10. 13. 14. 27. 31. 48. 53. 59) nondum enucleata satis videtur; referuntur a GROTEFENDIO l. l. p. 9 ad quinque numinum maiorum ordinem; haud raro tamen ornatum tantum praebent, veluti parvuli soles et lunae Ies. III, 18.

2) Cfr. BONOMI l. l. p. 163.

quoniam saepissime coniuncta ita leguntur, praeferimus 3) rationi illi, ex qua sic audit enuntiatio: „ex aede dei tui exscindam sculptile, et fusile faciam sepulcrum tuum“ (DE DIEU, HOELEM.), licet simplicitate commendetur. 4) Abesse maxime ab idonea explicatione videntur, quibus templum est id, quod in sepulcrum converteretur (secundum Ies. XXXVIII, 37, unde nihil probatur) MUNSTER., DRUS., ROSENM., quibus assentit F. BOETTICHER (exeget.-krit. Aehrenlese p. 40), „cum verisimile esset, destructa idolorum adyta haud raro pro sepulcris esse usurpata.“ — Sententia igitur haec fere est: Idolorum simulacra e templis exscindentur, et ipsi ruina eorum cooperientur et sepelientur. Quibus verbis Sanheribi necem Ies. XXXVII, 38; 2 Reg. XIX, 37 praedici probe existimant ii, qui ante cladem apud Hierosolyma Assyriis inflictam cecinisse Nahumum contendunt; at quoniam diu postea editum esse vaticinium intelleximus, hoc tantum concedimus, atrocem regis illius eventum respici, et interitum haud minus ignominiosum sub imagine consimili universae Assyriorum genti annuntiari. Idolorum autem commemoratio et vindicta ad alias quoque revocanda caussas est: primum, quod in deorum ab ipsis inventorum potentia suam ponebant gloriam et superbiam; deinde, quod in religione et mythologia sua cuiusque populi indoles suumque ingenium expressum est; postremo, quod ad defectum a deo vivo veroque et creaturarum cultum tam inimicitiae adversus Israelem quam ipsorum reprobationis ultima caussa revocanda est.

Additur denique, quamobrem exstinguendi sint Assyrii: sicuti idola gentium saepe legimus אלילים dicta, ita cultores eorum etiam pro nihilo habendi sunt: כי קלות, nam levis es. Cuius verbi קלל genuinam potestatem bene descripsit GOUSSETIUS: „nota Kal., Niph., Hi., Hithp. significare levitatem, eamque physicam vel moralem.“ Sic 1) exiguam rei quantitatem et extensionem indicat Gen. VIII, 8. 11, indeque transfertur ad animi rationes Iob. XL, 4; Gen. XVI, 4. 5 seq.: בעיני, veluti Ni. 1 Sam. XVIII, 23; 2 Reg. III, 18; uberius proposita similitudo est Dan. V, 27: „pensus es lance, et inventus es deficiens;“ qui sensus in locum nostrum optime quadrat. (HITZ., MAUR., Ew.) 2) Alii alteram verbi notionem praetulerunt: vilem, contemtum esse, cfr. 1 Sam. II, 30; 2 Sam. VI, 22; CALVIN., VATABL., ROSENM., HOELEM.; quibus recte improbravit HITZIGIUS, non esse quod sepeliatur,

qui in contemtum hominum inciderit. 3) Sunt etiam, qui celerem esse vertant קלל, veluti 2 Sam. I, 23; Hab. I, 8; Ierem. IV, 13; Iob. IX, 25 (coll. adi. קל); sic Peschito, omissa nimirum vocali sub l. ת, exhibet: ܡܣܒܠ, cito, celeriter, et LXX: ὅτι ταχεῖς, coniunctis verbis cum versu sequente. Quae interpretatio incommoda est. — Commemorandae etiam sunt, ne omisisse eas videamur, aliae interpretandi rationes, quae vel verborum formas vel idoneum offendunt sensum: IONATH., GROTII: quia facile hoc est coram me; DRUS., PISCAT.: quia vilueris, scil. accepta clade in Iudaea, vel amisso regno; denique, uti cavillarunt quidam: quia levissimis contra Dominum verbis utebaris.

Quae cum ita sint, primam vaticinii partem consilio Domini de Assyriorum regno funditus evertendo absolvi videmus. At, sicuti nullum fere adhuc versum explicavimus, de quo non discrepassent vv. dd., utrum Assyrios an Iudaeos respiceret, ita extremam quoque sententiam non defuerunt, qui de Iudaeis dictam affirmarent. CYRILLUS praeceptum Domini reperit de Iuda tuenda et de non futura iterum dispersione populi post Babylonicam, et purgationem a sculptilibus allegat factam sub Iosia rege. Singularius etiam KALINSKIUS priora illa verba: 'לא יזרע וגו ad Manassis instituta refert abroganda, quibus Iudaeis dux et auctor plurimorum scelerum fuerat; eumque sensum dilucide patere ait e commemorata idololatria; quam primum abolitam esse Manasse reverso, 2 Paral. XXXIII, 15. 16; deinde sequentia quoque verba postea impleta esse per Iosiam, qui fragmenta sculptilium, quae succiderat, dispersit per tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, 2 Paral. XXXIV, 14. — Nemo est autem quin hac interpretatione omnem vaticinii nostri rationem turbari intelligat, cum pro gravi calamitate, quam exspectabant Iudaei, liberatio ab hostibus et restitutio pristinae gloriae promittatur, neque usquam gravior nuntiatur poena, quam qua iam erant affecti.

CAPUT ALTERUM.

Altera vaticinii pars, qua in mediam Nini rapimur eversionem, tribus et ipsa absolvitur numeris. I) Ad dignitatem Israelis vindicandam atque restituendam exercitus egregie instructus contra Ninum a Domino excitatur v. 1–5; II) expugnatur urbs munitissima, diripiuntur ingentes divitiae eius, incolae pallido angore cruciati in fugam vertuntur vel abducuntur in exsilium v. 6–11; III) atque adeo praedonum spelunca illa diruta a Domino exercituum, trucidatis latronibus, praeda exscissa, deserta iacet atque desolata, v. 12–14.

A. v. 1–5.

Ac prima quidem capitis particula summum primum iudicii exercendi finem proponit, Israelis liberationem v. 1; Assyrii autem humanis viribus frustra propulsare exitium student v. 2, cum ipse Dominus scelera adversus sacrum foederis sui populum commissa ulturus sit v. 3. Deinde magnificus exercituum, irae divini ministrorum, habitus v. 4, et mirifica describitur celeritas, qua curribus advolant ad urbem capiendam, v. 5.

a. v. 1–3.

v. 1.

Ecce in montibus pedes nuntii laeti, praedicantis pacem! Celebra, Iuda, festa tua, exsolve vota tua! Non enim grassabitur amplius super te nequam, totus exstinctus est[1]. Verbo חגג „deiectos et

1) Uberius hunc versum explicavit Dan. Heinrici, dissertatione, cui inscriptum est: „Nahumus pacificus, hoc est de pace,“ Lips. MDCL, in qua

tantum non desperantes Iudaeos iubet Deus animos oculosque attollere ad novum atque inopinatum, quod Dei providentia obiiceretur, spectaculum.“ MARCKIUS. Pondus autem voculae eo maius est, quod resonat in iis, quae sequuntur, laetissimum vaticinium Ies. LII, 7, uti infra videbimus; cuius conficiendi iam instare initium significatur. עַל־הֶהָרִים, in montibus non ideo apparere dicuntur nuntii, quod vox inde longe lateque exaudiri potest (DRUS.) — non vox enim sed pedes notantur — sed quod defixis desiderantium oculis in montium iugis fere quaeritantur, ibique adventantes primum offeruntur conspectui. Articulus licet omnino tantum genus montium significet, cfr. Ew. § 299 a, possit tamen etiam montes Hierosolyma cingentes vel Iudaeam ab Assyria separantes indigitare (HITZ., MAUR.) cum ab ea potissimum parte eiusmodi nuntius exspectaretur. Pedes nuncupantur, tanquam instrumentum currendi, et quia festinando victoriae nuntius cognoscitur (Ew.); cfr. Cant. II, 8; Actor. V, 9. מְבַשֵּׂר is est, qui laeta nunciat; nam licet KIMCHIUS meram nuntiandi potestatem defendat; מספר החדשות על־טוב או רע יקרא מ׳, tamen semel tantummodo in literis sacris de malo legitur nuntio dictum, 1 Sam. IV, 17, id quod „singulare est, et potest existimari abusivum;“ cfr. 2 Sam. XVIII, 19; Ies. XL, 9; XLI, 27; LII, 7; LX, 6; LXX εὐαγγελίζοντος. „Notabile est, quod ista radix non significat quamlibet publicationem, non rei futurae, non promissionis, sed rei existentis praesenti tempore, quaeque praeterea sit factum aliquod, aut aliquod factum includat.“ GOUSSETIUS p. 279. Quod collectivo sensu intelligamus nuntium, uti nonnullis placuit, caussa nulla est, dummodo teneamus, speciem aliquam atque imaginem spectari cuiuspiam, qui, audita Nini eversione, de laetissimo eventu Iudaeos reddere certiores festinet; quare nec de eiusmodi cogitandum nuntiis est, „quales emittere solebant Iudaei ad neomenias aliaque festa designanda.“ (KALINSK., MARCK.) Quale autem sit, quod affert nuntius, distinctius iam declarant vv. מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם, qui audire facit pacem; pacem enim signifat 'שׁ, non salutem, licet pace et securitate ab inimicis, quale Israelitarum erat ingenium, omnis cogitatio salutis com-

---

doctrina satis multa quidem congesta, sed haud probe disposita est; omne insuper opusculum theologico potius usui, quam doctae interpretationis rationi accommodatum est.

prehendatur. Delibata autem haec verba esse e Ies. LII, 7, supra iam diximus; ibi haec fere legimus: „quam pulchri sunt in montibus pedes nuntii, praedicantis pacem, nuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Zioni: regnat deus tuus!" Quae verba integram conficiunt particulam magnificae illius orationis c. LI—LII, 12, qua depressum per iudicia populum vates promissa salute et laetitia erigit. Cuius promissionis certitudine per commemorationem omnipotentiae divinae et Messiae mittendi stabilita (v. 1—16), praesagiente animo tristem et captivitate Babylonica deiectam Israelem alloquitur v. 17 ss.: deletis hostibus, sicuti Aegyptiis et Assyriis, ita istis quoque et omnibus omnino libertatem iis et beatitudinem olim conciliari; properat deinde ad faustissimi huius diei cogitationem LII, v. 6: „ideo illa die cognoscet gens mea nomen meum, ideo illa die, ego enim sum, qui loquitur, en me!" Quibus vocibus cum aperte praeparetur notatio earum rerum, quibus cogniturі sint nomen dei seu manifestationem, confestim sequitur: „Quam pulchri sunt in montibus pedes" etc. Exclamant deinde et iubilant custodes simul et incolae urbis, redemtionem suam praedicantes v. 8 ss. Videmus ergo v. 7^{mum} necessitate aliqua et progressu contineri cum antecedentibus et sequentibus; ac si conferimus Nahumum, e nexu solutiore facile intelligitur, fontem esse Iesaiam, unde verba illa deduxerit; nam et recitata brevius sunt, et arctioribus circumscriptus finibus ipse etiam sensus videtur. Iesaias enim „omnem futuri temporis salutem una quasi specie comprehendit, ita ut strictissimo sensu effatum possit nominari Messianum, cfr. Rom. X, 15; unde tamen eventus ut ita dicam praevii non excluduntur, qualem Nahumus Ninives interitu paratum iri intuetur [1]." Atque haec quidem ratio praemissa vocula הִנֵּה quodammodo indigitatur, quae promissos olim nuntios adesse quasi in promptu ostendit. At vero HITZIGIUS [2], posteaquam HUETIUS [3] quondam dubitavit, utrum nostrum an Iesaiae vaticinium prius editum esset, ideo praesertim Iesaiam, vel potius fictitiam illam Pseudo-Iesaiae speciem hausisse e Nahumo sibi persuasit, quia parum

---

1) KUEPER Ieremias ll. ss. interpres atque vindex pag. 140 ss.; cfr. KALINSKY p. 257.

2) Comm. in Ies. p. 471.

3) Demonstr. Evang. Propos. IV, p. 303.

esset probabile, Nahumum ex duobus aliis versibus — est enim extrema quoque versus nostri particula recitata ex Ies. LII, 1 — et nonnullis de suo additis unam artificiose compilasse enuntiationem. Quae sententia usitatissimam tam prophetarum quam omnium fere ll. ss. auctorum consuetudinem offendit; ac, ne Ieremiae exempla a KUEPERO [1] iam exprobrata repetamus, in primi capitis v. 7 et 13 similem reperimus compositionem. Tum vero grave nostrae sententiae documentum, quod KUEPERI indagavit sagacitas non est omittendum: illud dico, quod Iesaias in altera ipsa vaticiniorum parte haud raro de eiusmodi nuntio laeto faciat verba, cfr. XL, 9; XLI, 27; LXII, 6; „quis haec sibi persuadeat e Nahumo, abrupte quasi hac de re loquente, depromta esse?" — Ceterum Iesaiana verba a S. Paulo recitata esse Rom. X, 15, et ad nuntios evangelii transscripta constat, quos includi illis verbis vidimus; neque vero LXX sequitur, sed liberaliter hebraicum reddidit textum, ita ut pleonasmum מבשר משמיע in unam contrahat vocem τῶν εὐαγγελιζομένων [2]. Tribus igitur his locis inter se comparatis dilucide patet, V. Ti. vaticinia habere suum eveniendi progressum, donec in Christo et regno eius ultimo loco conficiantur atque cumulentur. Neque vero esse etiam existimo, qui MOSEN HADDARSAN et Iudaeos [3] longe plurimos secuti ipsum Messiam Nahumi verbis opinentur indigitari; ipse enim LUTHERUS, cum magnopere optaret, fieri hoc non posse intellexit; „proinde," inquit, „generali sententia dictum puto de victoria corporali, cum tamen gratia Christi et evangelium generaliter sit insertum." Ex altera parte peccavit ABARBANEL, cum Iesaiam de liberatione per Messiam futura, Nahumum de una Assyriorum vindicta loqui asseveraret; omnis enim Israelis liberatio absolutam mundi redemtionem pollicetur in eamque tota vergit; quid? quod recitatis Iesaiae verbis haud occulte significare vates videtur, vaticinari se quidem de Assyriorum interitu, subiectam autem huic liberationi promissionem esse regni divini ab universa olim potestate seculari redimendi.

Additur id, quod restitutam populi pacem et securitatem de-

---

1) L. l. p. 142.

2) Mirifice HEINRICIUS de pace (cfr. supra) et KALINSKIUS Nahumi verba a S. Paulo recitari contendunt.

3) Cfr. SCHOETTGENII horr. hebr., de Messia lib. II.

beat sequi: *celebra, Iuda, festa tua, exsolve vota tua!* חגי proprie: versari in gyrum, tum vero, ob choreas sacras saltandas, celebrare festum, addito fere accus. חג Lev. XXIII, 39; Num. XXIX, 12; Sach. XIV, 16. 18. 19. Festa autem sacra[1] duabus ex caussis iubentur celebranda; primum, quod terra ab hostibus obsessa, institui non possunt, atque adeo, si celebrantur, nullos nec eminus nec cominus urgere hostes consequitur; tum vero festorum maiorum, quae dicunt, commune illud est, quod ad redemtionem celebrandam pertinent; Pascha enim instituebatur ad revocandam memoriam exodi ex Aegypto, promulgatae legis Pentecoste, Scenophegia gratiae et misericordiae, quam per deserta loca gens experta erat, donec promissam terram intravit. Quare hac compellatione redemtionem ab Assyriis tunc prope instare dilucide significatur. Est autem, uti probe notat Ursinus, „annunciatio partim gratulatoria, partim exhortatoria;" monetur etiam populus atroci idololatriae deditus, ut ad verum dominum suum atque patronum colendum rediret; sicuti Manasse e Babyloniorum vinculis liberatus statim deorum cultum pro viribus exstinguendum et sacra legibus Mosaicis praescripta restituenda curavit; 2 Paral. XXXIII, 16. Idem fere sensus alterius compellationis est: שַׁלְּמִי נְדָרָיִךְ. Vota[2] nuncupari solebant ab iis, qui gravi angustia continebantur, exsolvi autem impetrata salute. Sequitur ergo ex his verbis, fuisse etiam ab Assyriis periculum, cum ederetur vaticinium.

Subiungitur tam nuntii laeti, quam festorum et votorum exhibendorum caussa, et negative et positive expressa: *non enim addet incedere super te nequam, totus exstinctus est.* אסף addere, haud raro iterationem significat, sequente aut infinitivo, vel nude vel praefixo ל, aut praeterito. Verbo עבר non inundationis vel noxiae alicuius tempestatis similitudo subiecta est, sicuti I, 8 (I. H. Michaelis), sed victoris victum pedibus calcantis; cfr. Ies. LI, 23: „et tradam te in manum affligentium te, qui dicunt animae tuae: prosterne te ut transeamus (incedamus super te), et fac terrae similem corpus tuum, vel ut viam transeuntibus."

---

1) De omni festorum ratione cfr. Baehrii Symb. II, p. 528 ss.; Wineri Realw. a. v.

2) De votis cfr. Baehrii symb. II, p. 352. 371; Winer Realw. a. v. Hengstb. die Opfer der h. Schr. p. 38.

Respici autem Ies. LII, 1 eo certius est, quo prima versus verba ex eodem capite petita intelleximus, licet sententiae magis quam verba concinant: „expergiscere, expergiscere, indue fortitudinem tuam, Zion, . . . non enim ingredietur te amplius praeputiatus et immundus;“ ratio inter utrumque eadem intercedit, quam supra exposuimus. De voce בליעל cfr. I, 11. Positive eandem cogitationem, et caussam simul antecedentium verborum addunt: כלה נכרת, totus, seu ad literam: universitas eius exstincta est; cfr. I, 14. Suffixi species ה ex ampliore הוּ contracta evasit; cfr. Ew. § 247 d, 1.

v. 2.

Posteaquam Assyriaci regni destructionem praesagiente animo praecepit vates, iam, quomodo eo venturum sit, praeclaris imaginibus ad vivum exprimit. *Surgit dispergens adversus faciem tuam! custodi munitionem, speculare viam, conforta lumbos, confirma robur magnopere!* עלה haud raro significat: bello petere terram seu urbem, 1 Reg. XV, 17; XX, 22; Ies. VII, 1. 6; Ioel I, 16; Mich. II, 13. מפיץ part. Hi. a. v. פוּץ, plerumque dissipare, rarius neque nisi in formis Polel, Pilpel, Hithpalel diffrangere, de exercitu vel de populis vi disiectis saepius dictum 2 Reg. XXV, 8; Ez. XI, 17; XX, 34 all.; Ies. XXIV, 1 etc.; KREENEN., MAUR. all. temere potestatem verbi restringunt ad frangendum, tolerabilius HOELEM. utraque vi coniuncta reddit: Zersprenger. מפיץ igitur is est, qui dispergit, sicuti de Nebucadnezare dictum est Ierem. LI, 20: מַפֵּץ (a. v. synonymo נפץ) „dispergens tu mihi es, instrumentum belli; et dissipo per te gentes et perdo per te regna“ etc. Semel in substantivam vim abiit mallei Prov. XXV, 18, id quod nostro quoque loco fieri placuit CALVINO, I. D. MICHAELI (suppl.), HITZ., Ew.; quae sententia eo quodammodo sublevatur, quod malleus bellicus inter Assyriorum arma reperitur[1]; at usus eius non adeo gravis est, ut a stabilita verbi potestate recedendum videatur. LXX pro מפיץ legisse videntur מפיח: ἀνέβη ἐμφυσῶν εἰς πρόσωπόν σου, ascendit insufflans in faciem tuam; in quo CYRILLUS consuetudinem Iudaeorum vidit, aegrotos afflando curandi, cum THEODO-

1) Cfr. GOSSE Assyria p. 266 ss.

RETUS sufflationem intelligeret novae vitae Iudaeis factam ab Assyriorum interitu [1]. Ex recentioribus interpretibus GREVIUS pravam hanc lectionem retinuit. Quibus iam missis quaeramus, quisnam consurgat ad dispergendum, et quis dispergendus sit. Et cum secundum antecedentia verba Assyriorum interitum fusius descriptum exspectemus, Assyrios a Medis et Babyloniis dispergendos opinabimur; sed non pauci iudicium suspenderunt a suffixo עַל־פָּנַיִךְ, et quoniam in vv. antecedd. femininum fere suffixum refertur ad Iudam, haec quoque eodem pertinere existimarunt ION., RASCH., KIMCH., ABARB., MICH., HOELEM. At vero illam regulam non tam severe observari ipsum docet caput primum (cfr. v. 8), et in versu nostro masculinae imperativi formae sequuntur; neque est, quod HITZ., EW., iure improbantibus UMBR., MAUR., correxerint פָּנֶיךָ. Iam qui Iudaeos compellatos intelligunt, aut Assyrium ascendentem faciunt VATABL., BURK., id quod concinere nequit cum v. 1; alii Nebucadnezarem vident, HIERON., ABARB., DRUS., CALV.; at quid Hierosolymorum eversio, ubi de restituendis agitur Iudaeis? Denique I. H. MICHAELIS de Christo ante faciem Iudae sive Ecclesiae, tanquam adsertore ac vindice ascendente cavillat, coll. Mich. II, 13, Syriacam secutus versionem, quae sic fere exhibet: „ascendit ductor (ܡܕܒܪܢܐ) ante te, et excubiarum excubitor, et viae speculator, et sustentator lumborum, et validissimum robur eius;" verum enimvero עַל־פָּנַיִךְ habet plerumque hostile aliquid, cfr. GESEN. thes. p. 1028, nec unius loci excipiendi Gen. XXXII, 21. 22 tantum pondus est; ut omittamus, Messiae cogitatione sententiarum ordinem magnopere turbari. — Referendum ergo suffixum ad Ninum existimamus, et imperativis seqq. appellari Assyrium, dissipatorem autem esse nec Medos solos vel Cyaxarem (PISC., GROTIUS.), nec Chaldaeos solos vel Nabopolassarem (CALMET.), sed utrosque una persona comprehensos.

Prius vero quam hostes aggredientes describat, acerbe irridet vates Assyrios, ne nominis sui obliviscerentur gloriam, sed probe sese accingerent atque fortiter defenderent. Id quod quattuor absolvitur numeris. נָצוֹר plerique intt. bene statuerunt esse infin.,

1) AUGUSTINUS de civitate Dei XVIII, 31. „Quis ascenderit," inquit, „ab inferis, et insufflaverit in faciem Iudae, hoc est, Iudaeorum discipulorum Spiritum sanctum, recolat, qui meminit Evangelium."

imperativi vicibus fungentem [1]; contra HOELEM. est 1 praet. Ni.: obsessus est, מְצוּרָה autem accusativus instrumenti: „umschränket wird von Schanzwall eng er," idque ideo maxime, quod מְצוּרָה, vallum, non oppugnatarum urbium, sed oppugnantium exercituum esse contendit; longe verius DELITZSCHIUS notionem verbi descripsit ad Hab. II, 1: „מָצוֹר (=מְצוּרָה) ist der Einschluss oder Umschluss einer Stadt, theils von Seiten ihrer Bewohner durch Ringmauern, theils von Seiten des Feindes mit Belagerungswällen und Belagerungsthürmen, daher allgemein die Veste, insbesondere der Wacht- oder Spähthurm;" cfr. עָרֵי מְצוּרָה, oppida munita 2 Paral. XIV, 5; XI, 10. 11. 23; XII, 4; XXI, 3. Nihil est autem, quod cum TUCHIO [2] de turribus cogitemus solis, praesertim cum sequentia quoque nomina latius pateant.

Altera versus pars tribus imperativis conficitur; durius enim pro infinitivis accipiuntur. (HIERON., MARCK. all.) Custodiis per munimenta bene dispositis, accuratae observandae sunt viae, vel quibus subdole irruat hostis (MICH.), vel quibus appropinquet, ut illi obviam cum exercitu procedant (KALINSK.). חַזֵּק מָתְנַיִם, conforta lumbos, i. e. paratum te redde ad sustinendam pugnam; in lumbis enim roboris sedes est Deuter. XXIII, 11; 1 Reg. XII, 10; Ps. LXIX, 24; Ez. XXIX, 7. Eandem sententiam alia postremo verba exprimunt: אַמֵּץ כֹּחַ מְאֹד, confirma robur magnopere. Cur maioribus vicibus egeat quam alias, sequente enuntiato declaratur: Deus enim ipse est, cuius ministris illi oppugnantur. — Eiusmodi autem interpellationes quid sibi velint, accurate exposuit RUPERTUS TUITIENSIS, cum diceret: „sunt istae eiusmodi sententiae, quales grammatici sive rhetores concessivas appellant, pulcro locutionis modo ita se habentes, ut et in compulsione prohibeant, et in prohibitione compellant. Quae tamen ne non intellectae persuasiones esse videantur, permixta sunt aliqua verba, quae manifeste repugnant (cfr. III, 14. 15), ne, quod dicitur, audientes imperari vel persuaderi putent." — Quanta iam imminet rerum mutatio! quorum monumenta arcium suis copiis dirutarum imaginibus horrent, quorum reges, ut in columnarum titulis iactantur, sexcenties longe lateque imperii protulerunt fines, — iis exitiosum nunc bellum moenibus propulsandum est.

---

1) Cfr. GESENII Lehrgeb. § 209, 3, c, p. 783.
2) Comment. de Nino urbe p. 52.

v. 3.

Quae tandem tanti casus caussa est? — *Nam revertitur Dominus ad decus Iacobi tanquam decus Israelis; quoniam evacuarunt eos evacuantes, et palmites eorum corruperunt.* Haec verba, gravi interpretum labore insignia, tantis impedita difficultatibus videbantur, ut ex. gr. Kreenenius de salute versus omnino desperaret. „Quocunque modo," inquit, exponatur, nexus cum praecedentibus et sequentibus nullus plane est, ac nemo, quod sciam, fuit interpretum, qui eum probabiliter expediret;" evellere igitur dumeta constituit, praeeunte Schroedero, et genuinum versus locum post I, 13 esse contendit; nam inter defensionem Nini et oppugnationem eiusmodi sententiam plane intolerabilem esse. Nobis explicare nodum, quam ense expedire satius videtur; ac, modo verborum potestates usu confirmatas sequamur, et sententiam et ordinem non aptum solum, verum egregium esse cognoscemus.

Caput quaestionis positum est in verbo שב; cuius notionem primitivam esse recedendi, notum est. At omnes ad nostram usque memoriam interpretes esse quaedam dicendi genera asseverant, quibus non intransitiva, sed transitiva potestas rata sit, idque maxime in celeberrima formula illa: שוב שבות, „convertere captivitatem." Sensit quidem Middeldorpfius, si ita esset, flagitari formam Hiphil; nihilominus in errore tradito perseveravit. Hunc autem sensum, aeque ac cognatum illum restituendi, reducendi ct., temere illatum verbo esse, luculenter demonstravit Hengstb. Beitr. II. p. 104 ss., praesertim e ratione illius loci Deut. XXX, 3, qui reliquorum quasi fundamentum est. Cui novissime obiecit Schlottmannus comm. in Iob. ad XLII, 10: 1) את non posse directionem loci vel rei indicare; conferatur autem 2 Sam. XV, 23: עברים על־פני דרך את־המדבר; 2) impeditam esse eiusmodi dicendi rationem, qua directio notetur in cogitationem abstractivam; at quidni expeditum videatur, ubi non meram cogitationem, sed statum captivitatis intelligere debemus? — Quo in genere cum errarent interpretes, quo longius ab idoneo verbi sensu recederent, eo magis intricatam versus explicationem implicaverunt; diversae verbi notationes apud Polum reperiuntur collectae. Vertimus ergo: *Nam revertitur Dominus ad decus Iacobi ct.* Iam vero quaerendum est, quid sit גאון יעקב. גאון a. v. גאה, sese efferre, magnificum esse, significat decus, superbiam, non secus ac תפארת

Ies. IV, 2 ss., aut superbiam ipsam, aut id, quo quis gloriatur. 1) Superbiam igitur et fastum a) subiectivo sensu accepit Calvinus: „maturum esse tempus exitio urbis Ninive, quia iam satis superque subacti sunt et humiliati Iudaei;“ sim. Hieron., Marck., Kalinsky; interponunt ergo syllogismum, atque adeo nervosum ordinem sententiarum offendunt; deinde negligunt alterum versus membrum, quod non praepositione כִּי, sed copula וְ deberet annecti; postremo haec explicatio aeque est futilis quam omnes, quae a transitiva potestate verbi שׁוּב suspenduntur. Quare non minus improbamus eorum interpretationem, qui b) obiectivum superbiae sensum praetulerunt: eam superbiam, quam Iudaei ab Assyriis experti sint, Theodor., Cyrill., Grot., Kreen. 2) Transeundum est igitur ad alteram v. גאון notionem: id, quo quis gloriatur; eaque exemplis amplissimis commendatur. Amos. VI, 8 ג״י significat omnem magnificentiam, qua sacra Dei gens ornata est; quae quoniam a Deo data est, ipsi Deo hoc nomen tribuitur ibid. VIII, 7; primus autem locus inter Israelis privilegia sacrae terrae est; quare vel ea appellatur decus Iacobi Ps. XLVII, 5. Nihil est vero, quod ad specialem hanc significationem sententia verbi restringatur; imo Tarnovium, Lutherum [1]), Schmiederum secuti omnes intelligimus virtutes, quae ex electione divina in sacram gentem redundabant, et quibus sacerdotalis eius regiaque dignitas cernebatur cfr. Exod. XIX, 6. Deus autem, si ad aliquem revertitur, cum gratia sua atque potentia revertitur; ergo sensus enuntiati hic fere est: Dominus gentem suam, quae aliquamdiu ab eo destituta videbatur, cum hostibus esset subdita, propediem ita vindicabit, ut manifesto appareat, eam esse electam a deo prae omnibus gentibus et ad sacrum eius peculium destinatam [2]).

---

1) Lutherus in versione quidem exhibet: „er vergilt die Hoffahrt Iacobs;“ sed in commentario asseverat: „Iam autem venit tempus, quo gloria regni Iacob et Iuda redibit, non amplius affligetur Iuda, sed gloriosius erit; atque ita superbia significat hic gloriam, pompam, splendorem, et magnitudinem regni seu decorem, id quod patet etiam ex Exod. XV, ubi eadem vox est in hebraeo, gloriose magnificatus est.

2) „Wie er hier gethan, so ist sein Thun immerfort; und nach jedem solchen Siege schenkt er uns unser Erbe auf's Neue, den Stolz Jakob's. So soll auch jeder neue geistliche Sieg dem Volke Gottes die Gewissheit seiner Erwählung und aller Verheissungen des Herrn wiedergeben.“ O. de Gerlach. ad Ps. XLVII, 5.

Ceterum respecta a vate sunt Iesaiae verba LII, 8: „iubilant, nam oculo in oculum vident Dominum revertentem ad Zion;“ id quod non negabimus, modo primum nostri capitis versum indidem repetitum esse recolamus.

Pergendum autem ad eam quaestionem est, quidnam utrumque sibi nomen velit, Iacob et Israel; possunt aut diversa, aut idem significare. 1) De utroque regno dici, Iudaico et Ephraimitico, interpretes longe plurimi statuerunt. Neque vero infitias eamus, utroque primaevi patris nomine, licet de universa gente proprie valeat, posse alteram tantummodo partem nuncupari; idque eo fit facilius, quod Iudaicum regnum ingenio et moribus et regiae familiae pietate ad universitatem populi referendam propius accessit, numero autem et extensione Ephraimiticum (cfr. Mich. I, 5); vix autem ullus inveniatur locus, ubi Iacob et Israel, nulla alia declarante nota, tale quid significare videantur. Longe enim alia ratio exemplorum est veluti Obadiae v. 17. 18, ubi domui Iacobi opponitur Iosephi domus. Ac licet ingeniose UMBREITIUS utrumque nomen nostro loco ideo positum esse asseveret, „um mit diesem getheilten, aber doch ursprünglich einen Doppelnamen auf die wiederherzustellende Einheit des getrennten Volkes hinzudeuten:“ tamen restituendae utriusque regni unitatis et salutis cogitatio, nota illa quidem et explorata prophetis (cfr. collecta aliquot exempla a CASPARIO comm. in Obadiam p. 127), a Nahumo longe abest, quippe qui per omnem libellum solum respiciat Iudam, nec Israelem ne praetereundo quidem tangat. 2) Praeferenda igitur nonnullorum interpretatio erit, qui idem notare Iacobum et Israelem censent, CYRILLI, LUTHERI, VATABLI, BURKII, DE DIEU, GREVII, SCHMIEDERI; cfr. Ps. LXXVIII, 21; neque vero merus pleonasmus est; imo discrimen, quod intercedit, bene perspexit CYRILLUS: *ἰστεόν δὲ, ὅτι τὸ μὲν Ἰακὼβ ὄνομα ὑπὸ τῶν πατέρων ἐτέθη τῷ Ἰακὼβ, τὸ δὲ Ἰσραὴλ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἀμφοτέρων δὲ τῶν ὀνομάτων μετέλεχεν ὁ ἐξ Ἰακὼβ λαός;* BURKIUS: „Magnificentia Israelis, nomine divinitus dato, maior est quam magnificentia Iacobi, ordinaria et quasi naturalis.“ Haec igitur verborum sententia est: Dominus revertitur ad decus Iacobi, sed ita revertitur, ut appareat Iacobum esse Israelem, quocum foedus fecit sanctissimum, cui summa quaeque promisit, quem, licet castigaverit peccatorum caussa, tamen omnipotenti manu ulciscitur. Eadem fere particulae כ po-

testas est 1 Sam. XXV, 36: „et ecce! erat ei convivium in domo sua כמשתה המלך, quale instituii a regibus solet.“

Quid vero est, quod vindicabit Dominus decus Israelis, quod exercitibus praeclare instructis Assyriorum franget potentiam? — *nam evacuerunt eos*, Israelitas nimirum, *evacuantes, et palmites eorum corruperunt.* בקק, cfr. v. 11, non est crepare, lacerare, uti cavillat SCHROEDERUS, nec conterere, stringere, ut temere contendit GREVIUS, sed evacuare; cfr. בקבוק lagena, et بقبقة sonus lagenae evacuatae; dicitur de terra incolis exuta Ies. XXIV, 1, de incolis spoliatis ibid. v. 3, de vita exstincta Ies. XIX, 3. Ierem. XIX, 7; indigitat igitur Iudaeos ab Assyriis spoliatos; perperam enim ad Assyrios refertur suffixum a KREENENIO et HESSELBERGIO, quibus futuro sensu praedicitur Assyriorum destructio. — P a l m i t e s per similitudinem appellantur Israelitae. Transfertur enim haud raro vineae imago ad sacram gentem, pretiosissimam Domini possessionem, primum in Cantico VIII, 11 ss. coll. II, 15. VII, 13. I, 6. (cfr. HENGSTB. a. hh. ll.), deinde Ies. V et Ps. LXXX, 11 ss.; quare vites et palmites singulos fere cives significant. Apud hunc sensum satis usitatum cum maxima interpretum parte remanendum existimamus; licet proprie etiam intelligi palmites possent, cfr. Ioel I, 7. Ierem. XII, 10. 1 Reg. V, 5. Mich. IV, 4, siquidem כארץ י' mere esset terra Iacobi sicuti Ps. XLVII, 5; attamen, quoniam praestantiam Israelis omnino accepimus, metaphoricam illam palmitum interpretationem retinemus.

Ad iniuriam igitur Israeli ab Assyriis illatam referendum est, quod Dominus revertitur ad gentem suam, v. 3 b; sicuti in gratioso eius reditu latet caussa, cur vindictam de hostibus sumit. cf. Sach. I, 15: „magnopere equidem iratus sum de gentibus, (nunc quidem) quietis illis; cum paullulum iratus fuerim (de gente mea) illi autem iuverint ad malum.“ Ies. XXXIII, 1: „Vae tibi vastator, et qui non vastatus es, et praevaricator, et in quem perfide non egerunt; ubi absolveris vastationem, ipse devastaberis, ubi ad finem perfidiae perveneris, perfide agent erga te!“

b. v. 4. 5.

v. 4.

Clypeus heroum eius rubefactus, viri fortitudinis coccinei, in igne chalybum currus, qua die disponit, et cupressi vibrantur. Clypei

primum nominantur, quibus praetentis irruunt milites; מגן est clypeus, minori et rotunda forma, צִנָּה scutum quadrangulum fere, et quo totum tegitur corpus [1], cfr. WINERI Reallex. a. v. Schild. Suffixum v. גבוריהו ad eum referendum est, cui in antecedentibus princeps locus est, i. e. ad Dominum v. 3, a (MICH., BURK., HITZ., HOELEM., SCHMIEDER.) id quod praeclarius est, quam si referatur ad מפיץ v. 2 a, longius insuper remotum illud (KALINSKY, MAUR.); cfr. Ies. XIII, 3: „Ego imperavi sacratis meis, etiam advocavi heroes ad iram meam, laetos superbiae meae!" cfr. v. 4. SCHMIDIUS de Assyriis cogitat, atque adeo ironicam quandam indolem toti versui obtrudit. מאדם (LXX ἐξ ἀνϑρώπων!) a. v. אדם, rubrum esse Thren. IV, 7. Exod. XXV, 5. XXXV, 7. Ies. I, 18 all. Varias autem in partes abierunt, qui quaesiverunt, quomodo et quamobrem clypei fuerint rubefacti? 1) „Fulgido aere ignitos" fuisse existimarunt BOCHART. Hieroz., SCHROEDERUS [2], MAUR., UMBR. Intercedit quidem intima quaedam necessitudo inter rubedinem et fulgorem [3]; nec non in Assyriorum tabulis ea, quae fulgida aera referre debent, rubro sunt

1) Eadem genera in sculptis Assyriorum tabulis distincta reperiuntur, cfr. LAYARD. Niniveh ed. germ. p. 365. 385. BONOMI l. l. p. 320. 177. 183. GOSSE Assyria p. 274 ss; fabricata aut e metallis apparent, aut viminibus contexta. Clypei interdum quadranguli erant, aut parva, aut scuta magnitudine aequabant; quibus armigeri tela incidentia a sagittariis propulsabant; suo enim armigero quisque adiuvatur sagittarius, cfr. Ies. XXXVII, 33. Clypeos et scuta aurea a Salomone in palatio suspensa legimus 1 Reg. X, 16. 17 et a Sisako rege direpta ibid. XIV, 25 ss.; id quod probe illustratur iis, quae apud GOSSIUM l. l. p. 279 legimus: „In Khorsabad there is a sculptured scene which affords an interesting illustration of a custom more than once mentioned in Scripture. It appears to be the plundering by an Assyrian army, of a temple in Mekhatseri, a city of Armenia, perhaps the same as the modern Van. (cfr. RAWLINSON the Cun. Inscr. p. 66 not.). The temple is hexastyle, with a wide but low conical roof resembling a Grecian pediment; and the walls between the pillars and the columns themselves are hung with round shields, some of which are shown in front and some laterally. Assyrian soldiers are seen running over the roof, carrying off a shield in each hand, and others are climbing up. The contour of these bucklers is strongly conical, and the umbo is formed by a gaping lions head, large and prominent. From the eagerness with which these shields were snatched away we may suppose that they were made of gold, etc." cfr. BOTTA l. l. pl. 141; BONOMI p. 162.

2) Qui uberius de hoc versu exposuit De vestitu mull. p. 71 ss.

3) Cfr. BOETTICHERI initia chromatologiae arabicae 1850. p. 12.

illita colore, hodieque conspicuo[1]; at vero, si fulgorem significare voluisset vates, cur non aliis vocibus usus esset? 2) GROT., ABARB. de clypeis occisorum sanguine tinctis cogitarunt sec. Deut. XXXII, 42. Ies. LXIII, 2; quibus obstat, quod eiusmodi aspectum non praebent clypei commissis iam manibus, sed ante pugnam, ביום הכינו. 3) Restat ut aut cupro factos clypeos intelligamus (HITZ.) coll. IOSEPHI Arch. XIII, 12, 5, aut rubro colore tinctos (TARN., DRUS, CALV., BURK., HOELEM.), vel ut terrerentur hostes, vel, ne manante sanguine animum quis deiiceret. Utcunque est, vates non rei ipsius, sed symbolicae rationis caussa, quae rubro colori inest, tale quid commemorare videtur. Sunt autem variae rubri coloris in ll. ss. significationes, quae a communi deinceps fundamento quodam repetendae sunt, nimirum a vigoris et vehementiae[2] cogitatione, cfr. Cant. V, 10; quae, sicuti in symbolico usu ignis[3] fere fit, in bonam malamve accipitur partem; atque adeo aut magnificentia et maiestas intelligenda est, Cant. III, 10. VII, 6; Iud. VIII, 26; aut ira Ies. LXIII, 1–4; Sach. I, 8; tum vero id, quo ira divina accenditur, peccatum Num. XIX, 2; denique, quod sanguinem quoque significat, et in natura rei positum est, et e primaria illa significatione facile elici potest, cfr. Apoc. VI, 4. XII, 3[4]. Nostro loco quaenam valeat, in consimili exemplo illustrando Sach. I, 8 probe perspexit THEODORETUS, cum diceret: *τὸ δὲ τοῦ ἵππου πυῤῥὸν τὴν κατὰ τῶν πολεμίων ἐθνῶν ἀγανάκτησιν δηλοῖ· ὕφαιμον γὰρ καὶ ὑπέρυθρον τὸ θυμοειδές.* Ergo milites hoc colore praediti tanquam instrumenta irae divinae apparent. — Eodem tendit, quod sequitur: אנשי חיל מתלעים; viri fortitudinis non milites omnino sunt (IONATH., VATABL., GROT., KALINSKY, HOEL.), sed emphatico sensu dicuntur heroes, cfr. Iud. III, 29; 1 Sam. XXXI, 12. 2 Sam. XI, 16, veluti בני חיל 1 Sam. XVIII, 17 all.;

---

1) Cfr. BONOMIUM l. l. p. 195.

2) Cfr. BOETTICHERUM l. l. p. 11.

3) Cfr. HENGSTB. die Opfer der h. Schrift p. 31. Quanta utrumque contineatur necessitudine, vel eo comprobatur, quod in Assyriorum monumentis ignis rubro colore significatur. Cfr. GOSSE l. l. p. 117.

4) Eaedem fere rationes apud plerosque populos constitutae reperiuntur; cfr. HENGSTB. Aeg. und die B. M. p. 187; BAEHR. Symb. I, 330 ss. II, 234 ss.; KREUZER Symb. I, 126. III, 302.; NORK. etym.-symb. WB. II, p. 14. 16.

מתלעים *ἅπαξ λεγόμενον*, a. v. תולע coccus vermis, cfr. Ion. IV, 17; coccineo autem colore vestes potius cogitandae sunt, quam arma (DRUS.); idque in moribus Medorum fuisse tradit POLLUX. I, 13: *Σαράγης, Μήδων τι φόρημα, πόρφυρος, μεσόλευκος χίτων*, et auctore XENOPHONTE Persae a Medis acceperunt *πορφύρους χίτωνας*.

Tertio loco additur: באש פלדות הרכב. Ex hebraeis literis erui non potest, quid sit פלדה; cognatum est autem فلذ, secare, فولاذ ferrum durissimum, chalybs, مفلوذ res chalybe confecta, nec non فُلَاذ ferri genus praestantissimi; in hoc ferramentorum chalybe bene temperatorum significatu acquiesci posse recte vidit MAURERUS; nam Assyriorum currus, quales in monumentis conspicimus [1] horrent fulgentibus rebus, seu e ferro seu e chalybe factis, securibus, arcubus, sagittis, clypeisque et quibusvis instrumentis, equi coronis rubrisque cirris ornati, temones denique fulgentibus solibus lunisque apparent distincti; quo adde armatos milites, curribus instantes; [2] quibus rebus omnibus fieri non potuit, quin radiis insuper solis collustrati, cum ingenti celeritate volitantes flammarum conspectum referrent. 2) Apud hanc simplicem chalybis notionem aliis remanendum non videbatur, פלדה coniecerunt instrumentum ad secandum, v. c. falcem, currus igitur falcatos esse intelligendos, I. H. MICHAELIS, EW., HITZ., WINER. RW. II, p. 671; e quibus HITZIGIUS, licet 'פ non significare falces perspiciat, currus tamen existimat debere falcatos esse, cum integer versus ad eos describendos impendatur! At vero curruum etiam sine falcibus magna erat apud illas gentes gravitas, ob irresistibilem maxime impetum; deinde Assyriorum monumenta nusquam exhibent eiusmodi curruum genus, a quibus, si notum illo tempore fuisset, in suum quoque usum fore adhibitum verisimillimum est; quo accedit, quod secundum veterum

---

1) De curribus Assyriorum cfr. LAYARD. l. l. p. 368 ss.; BONOMI l. l. p. 223. 180. 201. 305. 330.; GOSSE l. l. p. 217 ss. Frequentissimus curruum usus quantopere ad distinguendas siderum figuras pertinuerit, docet GROTEFENDIUS, Anlage und Zerstörung der Gebäude zu Nimrud p. 29 ss.

2) Cfr. GOSSE l. l. p. 233. 238. Revocandi etiam in memoriam erunt Canaanitarum currus ferrei, similiter exornati, Ios. XVII, 16; Iud. I, 19. IV, 3. 13; cfr. KEIL. ad Ios. XI, 4; BERTHEAU ad Iud. I, 19. De Aegyptiorum curribus eodem fere modo instructis cfr. BONOMI l. l. p. 222; WILKINSON manners and customs of the ancient Egyptians I, p. 342. 348.

scriptorum testimonia[1] apud Medos, Syros, Arabes all. ante Cyri tempestatem ignotos fuisse constat. Neque vero in sacris literis prius quam 2 Macc. XIII, 2 ulla eorum facta commemoratio est. 3) Maxima interpretum pars transpositas verbi literas arguunt pro לפידים v. 5, CALV., DRUS., COCCEIUS, MARCK., GOUSSET. lex. p. 1289, all.; differunt autem eo, quod alii proprias intelligunt faces, vel noctis collustrandae caussa accensas DRUS., vel pro vulgari veterum more, in medium locum inter utramque aciem interpositum faces, pugnae committendae signa, coniiciendi (SCHROED.) — cuius consuetudinis apud Semiticas gentes nullum ne vestigium quidem reperitur; b) reliqui translate dictas accipiunt, seu ob ingentem celeritatem, CALV., rotis scintillantibus GROT., in saxa impingentibus VATABL., KALINSKY; quae sententiae ad nostram fere redeunt explicandi rationem. Ab hac autem transpositione literarum, qua non egere supra vidimus, eo magis cavendum est, quo sequente ipso versu verbum suis literis exaratum legitur, neque intelligi omnino potest, quid esset, quod ad eundem exprimendum sensum vates et literas et genus immutasset. LXX toto coelo aberrant: *ἄνδρας δυνατὰς ἐμπαίζοντας ἐν πυρὶ, αἱ ἡνίαι τῶν ἁρμάτων αὐτῶν ἐν ἡμέρᾳ ἑτοιμασίας αὐτοῦ* ct.; nec durius iudicavit SCHROEDERUS, cum diceret: „graeca versio hic tot mendis scatet, ut ne quidem adduci mereatur.“ — Additur, quando exercitus hostium eiusmodi conspectum praebeat: ביום הכינו, *ea die, qua instruit* aciem; הכין enim, nude positum, significat fere disponere aciem, Ierem. XLVI, 14; Ez. VII, 14, neque vero inchoare (HOELEM.); eum, qui disponat aciem, plerique existimant Medum esse sive Babylonium; verum ut supra a. v. גבוריהו melius cogitabimus de deo, voluntatis ministros in campum deducente. (MICH.) cfr. Ies. XIII, 3, verba supra citata, et v. 4: „Dominus exercituum lustrans exercitum belli.“ Qui suffixum accusativi esse opinantur, ea die, qua instruit eum, antecedentium verborum rationem negligunt.

Non minus vexata verba altero adduntur membro: והברושים הרעלו *et cupressi vibrantur.* ברוש aliis est abies, GOUSSETIO,

---

1) Cfr. XENOPH. Cyrop. IV, 1, 27. 30; GOSSE p. 225; WILKINSON I, p. 350; DIODORUS quidem II, 5 a Nino rege 10600 currus falcatos in aciem eductos refert; at quanta in eiusmodi rebus fides ei habenda sit, infra saepius videbimus.

COCCEIO, SCHROED., MARCKIO, aliis cupressus, IUSTIO all. idque secundum locos a GESENIO thes. a. v. collectos videtur satius esse; Ies. LV, 13; Hos. XIV, 9 all. Propius autem sensus vix retinendus erit; nam, quod placuit nonnullis: „sicuti abietes contremiscunt," vel: „arbores intra pomoeria urbis plantatae sive aedes ex tigno abiegno constructae," probari nemini poterit. Metaphorice igitur non magnates (ION., KIMCHI, ABARB., VATABL.) vel viros hastatos (BUXTORF.) intelligemus, sed hastas e cupresso fabricatas, impugnantium manibus quassatas (GROT.), ita ut silvam fere abietum vento agitatam aequent (CAPELLUS, KALINSKY, HITZ.) LXX, ב confuso cum פ, Syro sequente, habent οἱ ἱππεῖς θορυβηθήσονται. MARCKIUS, qui hoc quoque in genere diversos vv. dd. affert opiniones et commenta, quae enumerare longum est, ipse non videt, cur de ipsis curribus quoad partem eorum ligneam quassatis et cum tremore motis non cogitetur — at facile intelligitur, curruum citato cursu agitatorum lignum non conspici tremens, sed multo magis hastas ab armatis quassatas. רעל verbi specie unice hic legitur; notio tremendi et vacillandi cum ex aliis formis eluceat (תרעלה titubatio Ps. LX, 5; Ies. LI, 17. 22 et רעל Sach. XII, 2; Ies. III, 19) tum a SCHROEDERO l. l. demonstrata est, refutatis opinionibus GOUSSETII lex. p. 1522, qui „rubrum esse" statuit: „possunt rubri fieri sanguine, quo inebriati prae copia videantur, atque adeo viros ebrietate rubentes referre," et Rabbinorum, qui tegendi, operiendi significatum tradunt. GOUSSETIO alii assentiunt, qui de hastis, Scythorum more tinctis cavillant, CASTAL., GROT., DRUS., id quod repugnat ordini sententiarum: narrantur enim ea quae conspiciuntur curribus appropinquantibus, nec quae facta dudum antea sunt. — Si quaeritur, sintne manibus militum vibratae lanceae (MAUR.), an tremulo curruum motu quassatae (HOELEM.), utraque sententia cum altera coniungenda videtur. — GREVIO in textu a Masorethis tradito permanere durum est; legit igitur הִרְעָלוּ, turmatim eunt, רעלה enim dicit esse turmam viginti vel triginta militum — quo vix languere quidquam miserius potest.

v. 5.

In vicis insaniunt currus, cursitant in plateis: aspectus earum instar facum; velut fulgura ruunt. Continuatur exercitus hostilis descriptio; v. 4 appropinquant e longinquo, v. 5 propius aggredi-

untur, quid? quod suburbia iam ceperunt. חוּצוֹת vici, plateae sunt, neque vero campi (HITZ., MAUR.), quae potestas unice valet Prov. VIII, 26; coniunctae haud raro leguntur cum רחובות, plateis, ut nostro loco ita Ps. CXLIV, 13. 14; Am. I, 16; Prov. I, 20; qui hanc quoque vocem locum aequalem et spatiosum notare contendunt (GREVIUS, HITZ.), omni argumento satis firmo destituuntur; propensius ad veritatem HOELEM. „in viis extrinsecus circaque ad urbem ducentibus", secutus LXX ἐν ταῖς ἐξόδοις (Cod. Vatic. ὁδοῖς). Suburbii enim plateas intelligendas infra videbimus. יתהללו הרכב, cfr. Ierem. XLVI, 9; Poel (cfr. Ps. CII, 9; Coh. II, 2) et Hithpolel eo recedunt a reliquis formis verbi הלל, quod a splendendi et superbiendi notione abeunt in affinem illam stultitiae atque insaniae. Insanire autem dicuntur currus, singulari collectivo comprehensi, ob ingentem celeritatem, qua huc illuc avolant; „supra humanum fere morem, erit quaedam insania divinitus immissa" CALVINUS. Simplicem hanc atque idoneam insaniendi significationem, exemplorum insuper evidentia abunde comprobatam (cfr. Ierem. XXV, 16, XLVI, 9, L, 38, LI, 7), reliquerunt LXX συγχυθήσονται, HIERON. conturbati sunt, ob venientium multitudinem ut nequeant discerni, temerius etiam SCHROED., SCHULTENS., SCHEID. lex. secundum arab. هال excuti, dissipari, ruere. Insania autem ornatius refertur ad curruum motum ipsum, quam ad actores (DRUS.). — Amplius idem pingitur vv. ישתקשקון ברחובות, cursitant in plateis. שקק Ioel II, 9 audit cursitare, nec reliquus verbi usus aliam innuit potestatem; non est igitur, quod sequamur LXX συμπλακήσονται, HIERON. collisi sunt, CALSK., Ew. rennen sich um, vel etiam CALVINUM: „percutient coxam ad coxam prae nimia festinatione."

In altero membro fluctuant interpretes, quonam referendum sit suff. fem. מראיהן; nullo negotio nodus expeditur a GREVIO, qui confestim scribit מראיהם; alii, qui cum ratione potius et deliberatione agunt, 1) ad currus referunt, GESEN. thes.; at רכב ubique masc. generis est, fem. cum totius versus ratione pugnat; 2) MAUR. neutrali sensu pro iis rebus accipit, quae in curribus fulgent, atque adeo meram admittit repetitionem vv. באש פ׳ ה׳ v. 4; 3) satius est, cum HOELEMANNO proximum illud respicere רחובות: plateae continuis quasi facibus fulgere videntur. Absona est MICHAELIS sententia de oculis militum ardentibus cogitantis, aeque ac VATABLI de pudore, quo rubescunt Assyriorum vultus.

לפידים faces sunt Iud. VII, 16. 20; Sach. XII, 16, neque vero flammae (Gesen.). — Postremo *fulgurum instar ruunt;* ברקים cfr. III, 2 ברק חניח de fulgore dictum, hic autem celeritatis valet similitudo. ירוצצו Pilel a. v. רוץ currere, ergo cursitare, ruere, neque vero Poël a. v. רצץ Iud. X, 8, confringere, vexare, uti voluere Iun., Tremell., Piscator., quae fulgurum comparatio constare non potest.

Consentaneum maxime est, hunc versum non secus ac praecedentem referre ad Medorum et Babyloniorum exercitus; de iisdem dicitur curribus et eodem splendore apparatus; omnis etiam enuntiationis natura nescio quid habeat victoriae et certitudinis, cum Assyriorum de improviso oppressorum defensio ac desperatio longe aliter describatur. De Assyriorum trepidatione primus cogitavit Theodoretus, cum diceret: *ἀπὸ γὰρ τοῦ θορύβου τῶν ἐπιόντων πολεμίων ἄχρηστα πάντα γενήσεται, ἀλλήλοις ἐν τοῖς ὁδοῖς συμπλεκόμενα καὶ ὑπὸ ἀλλήλων συμπατούμενα·* sequentia autem ad praeteritum tempus refert: *καὶ μήν φησι γενναῖον εἴχετε πάλαι φρόνημα, καὶ τὸ θυμοειδὲς διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐδηλοῦτε, καὶ οἷόν τισι λαμπάσι καὶ ἀστραπαῖς ἐξεδειματοῦτε τοὺς ὑπηκόους, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν πολεμίων προσβολῇ δειλία ὑμᾶς ἀντὶ τῆς ἀνδρείας καθέξει.* Sequuntur primam huius sententiae partem Vatabl., Kalinsky., Ew., Umbr., ideo quod parum probabile sit, eadem repetita esse quae habeat v. 4 (Kal.) — at nec repetita esse et alium rerum locum cogitandum monuimus; deinde vix dixerim „die ganze Schilderung gewinnt an dramatischer Lebendigkeit“, si valeat enuntiatum de Assyriis; imo quanto et vividius et praeclarius hostium exercitui descripto v. 6 ss. misera Assyriorum opponitur defensio? Iam vero, si de Medis aeque dicuntur ac v. 4, et loci quaedam et temporis cogitanda differentia erit: חוצות non poterunt nisi suburbiorum plateae esse (Iusti), sive pars urbis latius extensa, distinguenda ab arce et regia vallis murisque fortius circumdata; deinde locos etiam differre necesse est; nam v. 4 accedentes e longinquo pinguntur hostes, v. 5 externis iam urbis partibus captis ad muros usque progressi apparent. Continuatur deinde oppugnatio v. 6 δ et 7 α.

B. v. 6-11.

Altera capitis particula expugnationem urbis v. 6-8, et direptionem praeformatam tradit, v. 9-11. Assyrii subito oppressi etiamsi parent defensionem v. 6, firmissima tamen loca capiuntur v. 7; constitutum est enim ut regnum cum summa ignominia evertatur, incolae in servitutem abducantur: v. 8. — Sic deficit ingens civium multitudo, qua a primis inde temporibus excellebat. Ninus, aliis etiam effugientibus, v. 9; diripiuntur thesauri omnes et divitiae v. 10, neque quidquam miseris illis relinquitur nisi animus formidine pallida dissolutus v. 11.

a. v. 6-8.

v. 6.

Recordatur procerum suorum — titubant in itineribus suis; properant ad murum eius — et constituta est testudo. Quisnam meminerit, dubium vix esse potest, cum singularis numerus opponatur plurali vv. 4. 5, rex Assyriorum nimirum, cfr. III, 18, (sive בליעל v. 1) ubi cum iisdem אדירים nominatur. Propius est loco, sed longius ab idoneo rerum ordine abest Dei cogitatio, MICH., cui tamen 'אד non sunt hostes, voluntatis divinae ministri, sed iidem Assyrii: „atque ita in eos animadvertet, ut corruant"; eorum sententiam, qui ducem exercitus hostilis intelligunt, stare omnino nequire videbimus. Recordatur autem procerum, אדיריו, LXX *μεγιστᾶνες*, „Opibus et consilio et fortitudine excellentium" (MARCKIUS); cf. Iud. V, 13; Neh. III, 5; Ps. LXXXVI, 18 ct.; III, 18 eadem notio est quam רעים, sunt igitur duces et magnates. Neque vero MAURERUM sequamur, qui duces cum suis copiis in provinciis constitutos intelligit; nam, quae narrantur, intra muros fieri necesse est. Iam vero quod regi veniat in memoriam procerum suorum, quos Ies. X, 8 omnes regia dignitate praeditos iactavit Rabsakes, bifariam accipiunt vv. dd.: 1) consentanea maxime haec interpretatio est: reminiscitur, egregium in iis praesidium esse positum, atque adeo nihil sibi timendum (UMBR., EW., all.), fallitur tamen magnopere, corruunt enim ct.; 2) contra, MICH., KREENEN., all.: recordatur cum dolore fortium suorum, qui cum hostibus pugnantes occubuerunt; quae versio praeteritum

exigit omisso relativo. Evitavit hoc vitium quodammodo KALINSKIUS: „cum exiguus heroum numerus ex Assyriorum exercitu superait, rex eos, qui supersunt, in urbem recipere constituit, at isti titubant ct.“; incidit tamen in aliud: non enim de אבירים sed de אדירים dicitur. LXX male *μνησθήσονται οἱ μεγιστᾶνες αὐτοῦ*. — At spes et fiducia regis egregie fallitur: *impingunt in itineribus suis*. הליכות plurali semper numero exaratum, ex infinitivo v. הלך formatum notat incessum, indeque vel agmen sive pompam Ps. LXVIII, 25; Hab. III, 6; Iob. VI, 17, tropice Prov. XXXI, 27; vel, uti nostro loco, ipsum incedendi actum. Nihil erat autem,. quod Masorethae singularem exigerent formam בַּהֲלִיכָתָם, nec quod HITZIGIUS femininam speciem pro masculina positam affirmaret, semel illam repertam Iob. XXIX, 6. Offendere pedibus cadendi sicuti initium, ita praesagium est; quare ubicunque legitur v. כשל, semper fere sequitur vel נפל Ies. XXXI, 3; Ier. L, 32; Ps. XXVII, 2 all., vel אבד Ps. IX, 4.

Properant ad murum eius, ימהרו חומתה; suffixum femin. a nonnullis omissum ad Ninum referendum est; fluctuant autem, utrum de Assyriis haec dicantur an de impetu ab hostibus facto (MAUR., HOELEM.). Graecae versionis auctor audiendo nimirum confudit חומה cum יום: *καὶ φεύξονται ἡμέρας καὶ ἀσθενήσουσιν ἐν τῇ πορείᾳ*. Respiciunt autem verba Assyrios; nam de Medis dicta, quorum impetus magnifice descriptus erat v. 4. 5, haec certe vox languere videtur; ac, si de oppugnatis valet, egregie opponitur enuntiatio acerbis illis compellationibus v. 2, et praeclare sequitur, quidnam e muro conspiciant: והכן הסכך *et constituta est testudo:* ימהרו personaliter dictum est, impersonaliter והכן; illa imperfecti, haec praeteriti species est. סכך, cfr. שוך, נסך, סוג, non est nisi tegere Exod. XL, 3; 1 Reg. VIII, 7 all.; GESEN. thes. a. v. primariam notionem affert texendi, sec. Ps. CXXXIX, 13, ubi longe aptior est tegendi potestas, cf. HENGSTENB. a. h. l., et Iob. X, 11 ubi Piel v. שׂוך habetur, de quo cfr. SCHLOTTMANNUM a. h. l. Nomen e participio derivatum illud unice hoc loco legitur; significare potest id, quod aut oppugnatos aut oppugnantes tegat. 1) Quibus illud placuit, differunt rursus eo, quod milites alii, alii machinas intelligunt. a) LXX enim exhibent *προφύλακας*, sequentibus Ew., HITZ., coll. אורב praesidium militare Ierem. LI, 12; at אורב significat militum turbam in insidiis latentem Iudd. XX, 33. 37; ac si de Assyriis valeret, imperfectum

potius scribi debuisse vidimus. Ideo ne b) alteram quidem probamus CALVINI, CAPELLI, KALINSKII sententiam, qui machinam aliquam ab oppugnatis ad tela hostium defendenda exstructam coniiciunt, id quod cogitari insuper probe non potest. Satius ergo erit 2) plurimorum interpretum sequi sententiam, qui de oppugnantium machinis cogitandum docent, de testudine vel vinea. Ac a) vinearum quidem pondus atque gravitas haud sufficere videtur; nec ab illis gentibus usitatas scimus; b) verum testudines in expugnandis oppidis primum atque secundum apud Assyrios locum tenuere. Testudinum autem non illud genus dicimus, quod scutis supra capita sublatis atque ita inter se continuatis formatur [1], sed machinam ligneam, rotis subiectis, in qua suspenditur aries [2]. Videmus enim in sculptis Assyriorum tabulis ingentes turres quattuor vel sex rotis impositas, sub quibus aries eiaculandus latet (כַּר, perfossor, Ezech. IV, 3) [3]; sagittarii in tabulatis superioribus dispositi tam e summa turri quam e fenestris emittunt tela, ita ut et aries et milites tegantur, id quod egregie quadrat in appellationem סֹכֵךְ. Agebatur autem plerumque ad inferiorem muri partem, aggere obliquo exstructo [4]; parietes ligno vel coriis viminibusque tecti videntur [5]. „Hence the mode of their action was not that of shaking the wall and causing it to fall by repeated havy shocks (id quod in ingentes, qui feruntur, Nini muros cadere non posset), but rather that of penetrating the courses of bricks, of which they were probably composed, and thus picking, if we may be allowed the phrase, great holes in them, until at length the battlements would fall for want of support beneath.“ [6] Quae machinae quam perniciosae fuerint oppugnatis, dilucide ex opera apparet frustra ab iis impensa, catenis tollendi arietem aut igne totam turrem delendi. [7] — Cogitari quidem secundum verbi notionem facilius de aliis tegu-

1) Cfr. AMMIANUM l. XXVI, 8; LIVIUM l. XXXIV, 39.

2) Cfr. LAYARD. l. l. II, c. 5, pag. 376 ss., fig. 57. 58; BONOMI l. l. p. 160. 161. 186. 234. 243; GOSSE l. l. p. 299 ss.

3) Cfr. HAEVERNICK. a. h. l.

4) Cfr. BONOMI l. l. p. 276 all.

5) Cfr. VITRUVII de architectura l X, 19. 20. 21.

6) GOSSE l. l p. 299.

7) Cfr. BONOMI p. 234; GOSSE p. 311.

mentis posset, scutis nimirum maioribus illis [1] solo infigendis, quibus tela ingruentia defendunt sagittarii; at ab iis non tantopere timendum erat oppugnatis; omnis autem sententiarum ordo atque progressus machinam aliquam arguit, quae summum illis terrorem iniiceret; deinde portarum patefactio confestim addita v. 7 testudinem arietariam exigere videtur. Quo in genere ex Assyriorum apparatu bellico non temere concludendo aliquid elicuisse videmur de Medis et Babyloniis; considerandum est enim, diuturno imperii vinculo et morum communione eos cum Assyriis fuisse contentos; tum vero Babylonios admotis turribus oppida oppugnasse scimus cfr. Ies. XXIII, 13.

Iam vero cavendum videtur, ne sententia nostra funditus evertatur. Nam quod KALINSKIUM prohibuit, quominus de testudinibus cogitaret, DIODORI dico verba II, 27, eiusmodi machinas sub Arbace nondum fuisse inventas, idem HOEFERO [2], cum oculis suis in antiquissimis etiam Assyriorum monumentis varias eiusmodi species conspiceret, egregium singularis sententiae suae videtur documentum, ex qua monumenta nuper reperta non Assyriorum sed Persarum esse opinatur. Verum cum tot aliis ex rebus Assyriis illa adscribenda esse constet et tempus eorum satis videatur constare, petitionem principii, quam aiunt, non committemus, si eorum auctoritate DIODORI [3] verba refutari et HOEFERI simul arbitraria commenta explodi contendamus.

Quae cum ita sint, versum huncce, perperam totum relatum ad Assyrios ab HIERONYMO, THEODORETO, CYRILLO, MARCKIO, TREM., IUN., EW., UMBR., HITZ., ita optime disponemus, ut tres priores particulas ad illos quidem, quartam autem ad coniunctas Medorum et Babyloniorum copias dicamus pertinere.

v. 7.

Portae fluviorum aperiuntur, et palatium diffluit. In enucleanda vexatissimi huius enunciati sententia religiosius sequendum nobis

---

1) Cfr. LAYARD. fig. 58; BONOMI p. 276. 278. 320. cfr. supra p. 57 not.

2) HOEFER Phénizie, Chaldée, Assyrie ct. p. 319.

3) In eiusmodi rebus quam caute veterum scriptorum testimonia audienda sint, docent HERODOTI errores de arte crispos cupro variandi, de catapultis ct. cfr. GOSSE Assyria p. 295. 302. 303. 305.

erit vetus illud artis hermeneuticae praeceptum, quod proprium sensum ac literalem arcte tenendum docet neque relinquendum esse, nisi necessitate urgente. Gravius enim quam alias dissentiunt interpretes, prima potissimum verba utrum proprio sensu accipienda an translato videantur; nam de altero membro dubitari diu non posse, postea apparebit. Atque omnes quidem, quae inveniuntur, interpretandi rationes tres in partes describimus; quarum pars prima est eorum, qui utramque vocem, portas et fluvios, proprie intelligunt; secunda est autem, quae alteram tantummodo proprio sensu dictam, alteram per imaginem docet; tertio loco eos nominamus, qui per omnem enuntiationem translatum valere sensum asseverant.

I. Ac primum quidem, si proprie accipiuntur verba שערי הנהרות, possunt 1) portae esse, per quas meant fluvii, seu quibus continentur, i. e. emissaria quae nimias aquas ab urbe arcent, uti placuit BURKIO, VATABLO, KREENENIO, HITZIGIO (edit. I.) „Die Wasserthore sind Schleussen .... 'נ sind die vom Tigris ausgehenden concentrischen Canäle, durch welche nicht die ganze Stadt, wohl aber, wie unsere Stelle zeigt, der Palast unter Wasser gesetzt werden konnte .... Der Königspalast lag wahrscheinlich am Tigris selber als Wasserstadt, eine Festung für sich bildend, auf welche der Feind sein hauptsächlichstes Augenmerk richtete." Quae sententia eo a reliquis distinguitur omnibus, quod portas ad suam defensionem augendam ab ipsis Assyriis apertas esse docet. Verum si ad obsessos vox pertineret, secundum analogiam v. 6[ti] 3 p. plur. legeretur, neque vero sing., uti supra vidimus; deinde probe monuit TUCHIUS l. l. p. 66, quae sequantur vv. 8. 9, ea factum aliquid ab hostibus arguere, quo de sorte urbis decidatur. Accedit, quod alterum versus membrum proprio sensu dictum esse omnino nequit ob altitudinem palatiorum, uti infra ostendetur. Ipse autem HITZIGIUS alio quodam potissimum argumento a TUCHIO exprobrato commotus est, ut hanc relinqueret sententiam, cui assentire noluerim: „solum inde a Tigride tam alte exsurgit, ut canales ex amne ductos omnino non patiatur. Altissimae enim Tigridis aquae non attingunt Nini aream (vid. RICH. Narrative II, p. 35), quam insuper in orientem et boream versus multo editiorem fieri supra vidimus." Verum, quidni ex amne Khosar potuerunt derivari, qui ab orientali latere ad occidentalem media perfluit urbis Nini munimenta,

Mossuli opposita, et secundum omnia indicia semper perfluxisse putandus est?[1] eorumque satis luculenta hodieque vestigia fossae illae referunt inter triplicia munimenta a Khosar amne meridiem versus deductae, quas ipse describit TUCHIUS p. 754, et quarum structura universa fossarum naturam aperte prodit?[2] — 2) Possunt autem 'ש' ה dici etiam „a situ ad fluvios" sicuti reddidit LUTHERUS: „Die Thore an den Wassern werden geöffnet;" atque in hanc sententiam, consentaneam maxime, plurimi vv. dd. abierunt. נהרות autem non est quod per excellentiam Tigridem solum significent, uti BOCHARTUS Phaleg. p. 276, TARN. coll. Herod. V, 25, quemadmodum apud Halyn, pontem munitissimis portis in utraque ripa constitutis fuisse defensum opinantur.[3] Fluvios simpliciter Tigridem cum amnibus eum exaugentibus et canalibus esse existimamus. Cfr. III, 8 הישבה ביארים; Ps. CXXXVII, 2 נהרות בבל Euphrates cum aliis fluviis Babylonios campos permeantibus. Sunt ergo 'ש' ה „portae tam arte quam natura munitissimae," TUCHIUS l. l. p. 67. Eiusmodi portas non defuisse Nino, consentaneum maxime est; ac revera ex. gr. duo illa loca, quibus Khosar intrat vallum Nini et egreditur, satis fuere munita et portarum hodieque ostendunt vestigia[4]; semicirculus autem campus ille, qui nunc interiectus est inter Tigridem et vallum urbis[5], eiusmodi est, ut dubitari vix possit, quin a flumine ipsos olim muros alluente paullatim allatus sit[6]. Neque vero illud concedimus TUCHIO, vatem de occidentali porta praeter ceteras cogitasse; certam enim portam quandam vatis animo fuisse obversatam, omnino negamus; imo fluvios non commemorari nisi ob portarum firmitatem contendimus, uti probe videt LUTHERUS: „portae fluviorum, qui alioqui firmae sunt, ad

---

1) Cfr. RITTER Erdkunde XI, p. 232.

2) Cfr. RICH. l. l. II, p. 34.

3) Vix digna est quae afferatur sententia ATH. KIRCHERI de turri Babel. II, 2, 47 et HOEFERI l. l. p. 245, qui Euphratem et Tigridem intelligunt, insuper cum HOEFERUS hallucinari non erubescat, quia sec. h. l. Ninus inter utrumque fluvium sita fuerit, monumenta trans Tigridem reperta non posse Assyriaca esse! Euphrates et Tigris semper sunt נְהָרִים, neque vero נְהָרוֹת.

4) Cfr. TUCH. l. l. p. 50. 66. RITTER. Erdk. XI, p. 232.

5) Cfr. mappam topographicam TUCHII opusculo additam; WEISSENBORN. l. l. tab. I, fig. 3.

6) Cfr. RITTER. l. l. XI, p. 224.

quas non facilis est aditus, iam facile occupabuntur, apertae sunt ct." EWALDUS: „Die durch Ströme und Wasserleitungen vom Tigris her so wohl verwahrte Stadt;" cfr. MEIER Stud. u. Kritiken 1842, IV, p. 1032 ss. Cui explicationi obiecit ROSENMUELLERUS: „quis non intelligit, latum rapidumque Tigridis amnem hostes ab illa urbis parte aditu potius arcere debuisse?" verum angustius ab hoc v. d. intelligi verba ostendit MAURERUS, licet ipse nimium etiam vidisse existimandus sit, cum asseveret: „portae urbis sitae iuxta illas fossas, eaeque portae a Ninevitis ante oppugnationem ad arcendos hostes inundatae, ab hostibus vero, aquis in alium cursum deflexis, siccatae et apertae, ut a Cyro factum in expugnanda Babylone legimus in Xenophontis Cyropaedia. Quae tam altos et latos muros habebat urbs, facilius expugnabatur derivandis fossis, quam rumpendis moenibus. Non obstat huic meae interpretationi ante memorata vinea admota muro. Nil inexpertum omittunt oppugnantes." At quomodo aperiri portas per visionem conspexerit vates, non dixit; et, si eodem modo, ac postea Babylon, capta etiam Ninus esset, nescio an proditum memoriae esset. Vates autem nec amnem Khosar cum canalibus inde deductis, nec Lycum s. Zabatum[1] indigitasse putandus est, sed mere portas, fluviis praetereuntibus munitissimas; cuiusmodi portis Ninum defendi, „subtilem locorum cognitionem" minime olet, uti existimat TUCHIUS p. 64; nonne enim ab Assyriis toties Galilaeam peragrantibus ipsaque Hierosolyma oppugnantibus, cum regni sui et urbis praestantiam iactando describerent, opportunitas situs commemorari praeter cetera debebat?

II. Age autem videamus, quid alii elaborarint, qui, relicto proprio verborum sensu, a) portas translate dictas existimant. 1) Aditus ex inundatione Tigridis patefactos intelligendos esse docent SANCTIUS, KALINSKIUS, IUSTI, HOELEM., respecto Diodoro, quo auctore Tigridis inundatione muris per XX stadia destructis urbs patefacta hostibus est; qui eo fere commoti studio, ut ll. ss. cum veterum scriptis concinere ostenderent, vim inferunt verbis: nam 'שׁ' 'ה nude dicta non possunt portas fluviis patefactas indicare. 2) Eadem difficultate aliorum premitur sententia, qui fluvios tanquam urbis portas censeant dictos, per

1) SCHURZFLEISCHII diss. de Nino urbe.

quas impediebatur passim accessus ad eam terrestris, et per quas tamen navibus accedere et recedere solebant; tale quid enim potius esset: שערים אשר הנהרות.

b) Longe satius egerunt, qui non in portis, sed in fluviis latere imaginem opinantur. Quo in genere 1) ROSENMUELLERUS assentiente DE WETTIO cogitavit hostes, portis quidem antea retentos, iam vero effractis, fluminum instar omnia inundantium in urbem irrumpere, cfr. I, v. 7. Quae aquarum significatio symbolica licet rata sit in ll. ss., vix tamen 'ש 'ה nude dictum hoc praesertim loco ita explicandum erit, cum ex antecedentibus non imagines, sed continuatam expugnationis descriptionem exspectemus. Quoniam aquarum et fluviorum multiplex est in transferendis similitudinibus usus, 2) HIERONYMUS intellexit „portas Ninivae quae ad instar fluminum habebat civium multitudinem," et paullo aliter HITZIGIUS (edit. II.): „diejenigen Strassen der Stadt, welche auf Thore ausmünden, und in welchen v. 9 die Bevölkerung statt der Wasser fluthen." At si quando symbolicus horum verborum sensus accipiendus est, idem valeat necesse est qui v. 9, ubi meram multitudinis cogitationem non satis esse videbimus.

III. Eodem referendum est, quod nec aliam probamus, etsi ingeniosam omnium maxime sententiam UMBREITII, qui utriusque verbi translato statuto sensu sic disputat: „die Ströme dringen unaufhaltsam herein, d. i. die Noth steigt auf das höchste. Man muss also das gebrauchte, so häufig vorkommende Bild rein für sich auffassen, und nicht etwa die Ströme unmittelbar mit den Feinden vergleichen, worin man gewöhnlich irrt; dann wären die Thore ganz unpassend." Commendatur haec sententia eo, quod reliqua versus verba והחיכל נמוג ad eandem redeunt similitudinem; nihil est tamen, quin ea putemus translate dicta, priora autem proprie, praesertim cum animi diffluentis imago haud raro reperiatur.

Acquiescendum ergo in proprio primi membri sensu existimamus: portae fluviis Ninum cingentibus adiacentes atque adeo munitae maxime, ab hostibus aperiuntur. Prius vero quam pergamus, notare debemus LXX exhibere *πύλας τῶν πόλεων*, id quod HITZIGII explicationi possit patrocinari, nisi forte rectius TUCHIUS l. l. p. 64 not. scripturae compendium male solutum arguit, quemadmodum singularem Syriacae versionis lectionem

ܬܪܥܐ, ܕܝܗܘܕܐ portae Iudae, per calami aberrationem ortam esse ex ܬܪܥܐ ܕܢܗܪܘܬܐ luculenter ostendit.

„Ne autem urbis pars minus munita aut ignobilior tantum crederetur capienda, memoratur etiam urbis palatium.“ MARCK. היכל tam templum quam regiam significat, veluti 1 Reg. XXI, 1 all.; templi autem cogitatio (PISCATOR., DRUS.) longius hinc abest. De v. מוג cfr. ad I, 4. Iam vero proprie intelligi verba, ut regiam inundatam et nimia aquarum mole dissolutam indigitent, omnino nequeunt. Assyriorum enim palatia[1] et castella, quae reperta adhuc sunt, omnia tumulis artificiose exstructis apparent imposita, quorum altitudo satis est considerabilis[2], ita ut in planitie illa et magnitudine regionum de inundatione eorum et dissolutione propria cogitari nequeat. Translate autem de pavore et metu haud raro dici supra vidimus, idque probe quadrat in sententiarum progressum: portis firmissimis superatis, iam

---

1) Satis ampla sententiae nostrae lux accedit e praeclara palatii Assyriaci specie, quam secundum ruinarum Nimrudensium naturam expressit HELFFERICH, Aphorismen über den Kunststyl VII, Morgenblatt 1852 p. 900 ss. .... ein colossaler, pyramidalischer, quadratischer Unterbau, umgeben von Mauern mit Thürmen, Thoren und Freitreppen ..... Auf einem Plateau erhob sich ein zweiter Peribolus. So steigerte sich in mehreren Umwallungen und Absätzen der Bau bis zu der eigentlichen Residenz des Dynasten, bis zu jenen bedeutungsvollen, von mystischen Thiercolossen bewachten Pforten ...... Vom Gerichtshof ging es wieder terassenförmig aufwärts zu den Privatpavillons des Fürsten, die in vereinzelten Massen in schattigen Gartenanlagen standen. Und über diesem allen erhob sich als krönendes Werk die hohe Pyramide mit den baumbepflanzten Terrassen und den hinauf sich windenden Freitreppen .... oben befand sich das Grabmal des Stammherrn, der dem unterjochten Volke zum Gotte aufgedrängt war etc.

2) Altitudo arearum, in quibus praecipua palatia aedificata sunt, haec fere est: Kuyundjuk 43′; Nebbi Yunus 50′; Kalah Shergat 60′ (cfr. BONOMI l. l. p. 93. 101); Khorsabad 30′ (cfr. l. l. p. 130); postremo collis pyramidatus Nimrudensis 144½′ (cfr. l. l. p. 92). Quae mensurae hodiernae ut antiquas referant, non tantopere imminuendae sunt ob sabulae et pulveris copiam, quae tempestatibus illis inde a mense Iunio e meridie furentibus quotannis adducitur (cfr. RITTERI Erdk. XI, p. 220); nam „the pedestal or sub-basement of the Assyrian buildings was not a mere accumulation of loose earth incrusted with stone or bricks, but was e regularly constructed elevation, built of layers of sun-dried bricks solidly united with the same clay of which the bricks themselves were made etc.“ BONOMI. l. l. p. 129.

salus nulla speranda est regi et omnibus, qui in palatio sunt. In hunc fere modum plerique vv. dd. interpretati sunt; minus apte MEIERUS regiam hostibus quodammodo inundari existimavit, verbi notione nimis insuper neglecta; KALINSKIUS incendium induxit, cum secundum Ctesiae narrationem a Diodoro traditam, Sardanapali regia per quindecim dies flagrasset; simplex deinde destructio placuit HIERONYMO; singulariter denique KREENENIUS, propria et translata interpretatione commixta: „rex fluctuat, mox vacillat, deinde corruit, et rudera eius fluctibus auferuntur.“

Quae cum ita sint, probe vexatissimi versus constare rationem intelligimus, ubi primum membrum proprio sensu dictum accipimus de portis munitissimis capiendis, alterum per imaginem satis usitatam eamque cum aquis antea commemoratis praeclare concinentem de animis eorum, quibus caput regni contineatur („das gebietende Ninive“ HITZ.) anxietate et pavore quasi liquefactis atque dissolutis. Atque hanc interpretationem etiam sequentium sententiarum rationi bene accomodatam esse apparebit.

v. 8.

Et constitutum est: nudatur, aufertur; et ancillae eius ingemiscentes instar vocis columbarum, plangentes super pectora sua. Haud minori interpretum discrepantia explicatio versus impedita est; primo praesertim verbo plus viginti diversas intulerunt significationes, quarum pleraeque sub divinationem cadunt, atque adeo probe possunt omitti. הֻצַּב f. Hophal est a. v. נצב, constituere, quod legitur Gen. XXVIII, 11, inf. Ni. Ps. XXXIX, 6, יציב Dan. II, 45. VI, 12; haec igitur significatio non caret exemplis, uti asseverat HITZIGIUS. Vertendum est ergo: *et constitutum est* (MARCK., UMBR., MAUR., HOELEM.); nec necesse est aliquod supplere subiectum, sicuti COCCEIUS, MICH., SCHMID. impedite e. v. 6. arcessiverunt הסכך; imo, simpliciter: constitutum est, a Deo nimirum, ut nudetur etc. MIDDELDORPFIUS: „Denn so war's beschlossen! heim wird sie geführt als Gefangene etc.;“ cfr. I, 14: „et de te iussit Dominus etc.“ HITZIGIUS huic notioni improbrat: „Diese Bedeutung wird nur in dem Falle zulässig sein, wenn sofort das decretum divinum in seinem vollem Umfange, statt nur einem Theile nach angegeben würde;“ verum enimvero in parte hac potiore inest totum; nam ubi incolae abducuntur in

captivitatem, et urbs simul et regnum deletum est. Intelligi autem vix potest cur simplissimam hancce notationem plerique reliquerint. Agmen ducunt LXX ἡ ὑπόστασις ἀπεκαλύφθη καὶ αὕτη ἀνέβαινε, Vulg. miles captivus abductus est; CAPELLI et SCHLEUSSNERI (Thes.) coniectura, ex qua legisse illi מצב putantur, verbi ἀπεκαλύφθη parum habuit rationem. Chaldaeo praeeunte NICOLAUS LYRANUS, LUTHERUS all. reginam intelligunt, quippe quae Ps. XLV, 10 iuxta regem constituta sit, assentientibus Rabbinis plerisque; ergo regina revera a stando duxerit nomen? Audacius simul et commodius RUECKERT, Ew. Huzzab, tanquam reginae nomen; de qua sententia MEIERO l. l. p. 1034 adeo persuasum est, ut affirmet: „Die folgenden Worte verlangen so durchaus diese Annahme, dass jede andere Deutung nothwendig missrathen muss; es ist bestimmt — müsste jedenfalls anders ausgedrückt sein und giebt zudem keinen guten Sinn.“ GESENIUS thes., GRIMM speciem referunt ad v. צבב diffluere, et coniungunt cum v. antecedente: liquescit et diffluit, ubi plane abundat. Novissime satis ingeniose aberravit HITZIGIUS: „הָצָּב, lacerta (callida illa atque astuta bellua, quae Assyriorum referat imaginem), abscondita inter muros et munimenta (הסכך) detegitur, et sursum trahitur.“ — גלה inf. Piel, sicuti in Kal, primo loco significat: retegere, nudare, cfr. III, 3; Ez. XVI, 37 all.; unde Pual: nudatur, LXX ἀπεκαλύφθη; recte MARCK., MAUR. ignominiose, nudatio enim summa ignominia est cfr. Ies. XLVII, 2. 3.; Hos. II, 3. 12, infra III, 5. DE DIEU all. de deportatione cogitantes potestatem f. Hophal confuderunt cum altera f. Piel. Subiectio facile suppletur, Ninive, v. 9, e consuetudine satis vulgata mulieris imagine proposita. Nec necesse est, ut UMBREITIUM secuti propter ancillas paullo post inductas reginam suppleamus; nam cum illae non proprio sensu, sed per similitudinem intelligendae sint, non est quin Ninus quoque pateat latius. — עלה Hiph. Ps. CII, 25 abstulit, sustulit, inde Hoph. deportatur, Num. IX, 17. 21. 22; Ez. IX, 3; Ierem. XXXVII, 5. 11. Legitur quidem Iud. VI, 28 notione offerendi holocausta; quamobrem COCCEIUS, HOELEM. huic significationi patrocinantur, quae per se quidem bene constaret, (cfr. חרם), in hunc tamen sententiarum progressum quadrare nequit. Uti HOELEMANNUS, ita KALINSKIUS quoque temerius existimat confecta haec ad verbum esse, cum Diodoro auctore Sardanapalus „cum concubinis et eunuchis in domunculam, quam in medio

pyrae exstruxerat conclusis, se regiamque cum illis omnibus incendio consumsit. Retecta igitur dicitur regina, quando ex gynecaeo deducta est in pyram exstructam; elevata est in altum, quando rogum ad quattuor iugerum altitudinem elatum conscendit etc."

Ancillae eius, scil. Nini. Civitates ditioni et imperio eius deditas (THEOD., CYRILL., HIERON., MICH.) ideo cunctamur accipere, quod in hoc capite de sola agitur urbe; satius igitur erit mulieres urbis intelligere (GESEN., MAUR.), saepissime filias urbis dictas. Arctius cogitatio restricta est ad ancillas proprie dictas ab UMBREITIO. מנהגות, *ingemiscentes columbarum instar*, cfr. Ies. XXXVIII, 14; LIX, 11; Ez. VII, 16, saepius cum v. הגה quam נהג, quod in f. Piel ab anhelando notat ingemiscere; altera potestas agitandi cfr. GESEN. thes. haud probe a LXX, HIERON., GROT. passivo sensu admissa est: *ἤγοντο* pecorum ritu aguntur. כקול cfr. קולי אקרא Ps. III, 5; CXLII, 2. *Columbis* comparantur tanquam inermes et auxilii inopes, cfr. Hos. XI, 11; cfr. HENGSTB. ad Ps. LVI, 1; Cant. I, 15. — חפף plangere tympana Ps. LXVIII, 28, hoc loco percutere pectora manibus, lugentium more, cfr. Luc. XVIII, 23; XXIII, 27. לבבהן unicum pl. a. v. לבב suffixo aucti exemplum; omissio l. י, notae pluralis, raro quidem invenitur, similibus tamen exemplis satis superque sustentatur, cfr. Ew. §. 258, a; quare nihil est, quod cum HITZIGIO legamus לְבַבְהֶן. על motum et directionem manuum indigitat; LXX paullo aliter: *φθεγγόμεναι ἐν καρδίαις αὐτῶν.*

b. v. 9 – 11.

v. 9.

Et Ninus instar piscinae aquarum a diebus, quibus extat; et illae fugientes; state! state! neque est, qui vertat. ו aliquid habere ponderis existimo, cum tristis dirutae urbis aspectus cum vetere magnificentia comparetur: — et haec est Ninus illa ct. כברכת מים cfr. Cohel. II, 7. Aquae usum symbolicum, qui ob eximiam dignitatem, qua apud orientales gaudet gentes, latissime patet in ll. ss., summa cum diligentia perscrutatus est GUIL. NEUMANNUS (die Wasser des Lebens p. 65 – 108), non sacrarum solum literarum locis accurate collatis, verum Arabum quoque et Indorum aliarumque gentium scriptis excussis; varias autem atque diversas

illas, ad quas aquae transferuntur, similitudines, contineri omnes cogitatione vitae ostendit; est vero vita secundum gentium illarum ac Israelitarum praesertim sententiam non mera existentia, sed ea vita, quae vere nominari vita unice debet, felicitas et beatitudo et salus; quae cum cogitari sine plenitudine et copia nequeat, transfertur aqua interdum ad similitudinem ubertatis, non omisso tamen felicitatis cum ea coniunctae respectu; recte igitur Hengstenbergius ad Apoc. XVII, 1. 15 stagno sive piscinae aquarum comparari Ninum docet ob commoda quae ex ingenti hominum confluxu redundabant, cum divitiarum ubertati v. 10 opponatur spoliatio. Cfr. Ierem. LI, 13: „quae habitas apud aquas multas, et dives es thesauris", all. Parum ergo viderunt interpretes longe plurimi, cum solam multitudinis incolarum significationem acciperent; satius Tarn., Kalinsky multitudinem opum et civium intellexerunt; proponitur enim summae potentiae illius et divitiarum et cuiusvis generis opum imago, quae ingenti civium numero in medium illum locum conferebantur. Qui proprium sensum retinere student, repetita fere inundationis memoria v. 7, vim inferre verbis debent, veluti Kreenenius legere suadet מֵימֶיהָ הִיא, reduplicatam pluralis formam cfr. Ew. §. 213, e, secutus LXX: ὡς κολυμβήθρα ὕδατος τὰ ὕδατα αὐτῆς. Lectio Masorethارum auctoritate comprobata מִימֵי הִיא, licet habeat singulare aliquid, facile tamen explicatur tanquam genitivi quaedam reliquia, cfr. Gesenii Lehrgeb. §. 57, b, p. 203, quasi הִיא esset nomen proprium; cfr. Ies. XVIII, 2: עַם נוֹרָא מִן־הוּא „horrenda gens, ex quo illa est." Sensum huius notae temporis perstrinxit Calvinus, cum moneret antiquitate et robur et auctoritatem regno conciliari [1].

At cessat celeriter gloria vel tanta vetustate sublevata. וְהֵמָּה נָסִים, *et illae fugientes*, cfr. Ier. XLVIII, 45; Ps. CIV, 7, aquae nimirum illae, ut supra diffluxit palatium. Cfr. Hos. XIII, 15: „exsiccatur fons eius, deficit amnis eius, spoliat (hostis) thesaurum, omnia vasa pretiosa;" Ierem. L, 37. 38: „gladium super thesauros eorum et diripiuntur; siccitas super aquas eorum, et

1) Hoelemannus non femininum, sed neutralem v. הִיא valere sensum opinatur, atque adeo idoneam sententiarum rationem plane tollit: „quicquid modo de imminente Ninives clade nunciatum est .... non a condita urbe sed a diruta numerandum." Aquis enim non felicitatem sed miseriam indicari existimat.

deficiunt.“ Evadunt autem aquae illae sive incolarum turbae tam effusa fuga, ut revocantium voces frustra edantur. עמד non standi solum, sed resistendi etiam sensu dicitur, cfr. Ies. XLVII, 12. 13; Am. II, 15; imperativus simplici primum, deinde amplificata forma, in pausa fere usitata, positus. Cogitandi sunt autem, qui tale quid vociferentur, duces Assyriorum (Burk., Umbr.) vel qui honestius iudicent occumbere quam patriam indefensam destituere (Drus.); ad hostes eorum minus apte refertur, tanquam diripiendis opibus intentos. — *Non est qui vertat,* cervicem nimirum, עֹרֶף, cfr. Ier. XLVIII, 49.

v. 10.

Rapite argentum, rapite aurum! nec finis est apparatui, copia ex omnibus vasis pretiosis. Fractis munimentis, incolis partim abductis partim fuga elapsis, iam diripiuntur ingentes eorum divitiae. Victores interpellantur hostes; „ut fideles sciant, hoc regi providentia dei.“ (Calvinus) — כסף euphoniae caussa praepositum videtur verbo זהב. — Adiuncta copula וְאֵין incommodam reddit Hitzigii sententiam, continuari etiam appellationem hostium existimantis; imo reditur ad describendam spoliationem. קצה rarior verbi forma nec nisi in hoc dicendi genere obvia pro קֵץ; cfr. praeterea III, 3. 9; Ies. II, 7, et cognata illa ואין מספר et ואין משקל. תכונה praeter hunc locum unice legitur Iob. XXIII, 3, ubi aperte notat solium dei, cfr. מָכוֹן Ies. XVIII, 4; Dan. VIII, 11; iam si apud parandi notionem v. כון remanemus idque recordamur de textis pictisque vestibus dici Iob. XXVII, 16: ex eiusmodi formatione in vv. 'עו satis usitata (cfr. Ew. §. 161) facile pervenimus ad notionem apparatus pretiosi, cui patrocinantur LXX, κόσμον exhibentes; Hoelem. all. Contra Gesen. thes., lex. man. recedendum docet ad v. תכן examinare, ad normam exigere, ponderare, unde תָּכְנִית modus, harmonia cfr. Haevern. Ezech. p. 483. 697; at, licet possit repeti vox a תכן cfr. Ew. §. 153, a, 1, tutius tamen agemus, si ad כון redeamus secundum illius exempli supra citati analogiam, praesertim cum derivatio a. v. תכן suspensa idoneum praebere sensum nequeat; languet enim Grotii interpretatio: „in ponderando non est finis.“ Apparatus autem pretiosi cogitationem late patere e vv. parallelis כלי חמדה apparet; quemvis intelligimus apparatum

pretiosum, vestes, ornamenta e metallis vel ebore facta etc. — כבר defective scriptum semel praeterea legitur Gen. XXVI, 3; vertitur a plerisque: copia gloriosa; nobis sola copiae, gravis multitudinis significatio satis esse videtur, cfr. III, 3. 15, assentientibus KREENENIO, HOELEMANNO all.; sunt etiam, qui gloriae sensum retinendum putent, atque adeo מן sequens non substantiam notare sicuti III, 8 מים חומתה, sed caussam: gloria ex omnibus vasis pretiosis; altera tamen interpretandi ratio simplicitate magis commendatur. Ceterum כבד וגו absolute adiecta sunt, neque vero subiecta etiam ditioni praep. ל in לתכונה, uti existimarunt DE DIEU, EW., HITZ. כלי חמדה absolute dictum vasa pretiosa, pulcra notat; nam desiderii quae fertur vulgo significationem (LXX τὰ σκεύη τὰ ἐπιθυμητά) non posse impertiri v. חמדה, sed unicam illam τοῦ κάλλους, luculenter demonstravit HENGSTB. ad Hagg. II, 7, Christol. III, 354, et ad Ps. CVI, 24. כ׳ ח׳ sic habetur tanquam suppellex pretiosa 2 Chron. XXXII, 27; Ierem. XXV, 34; Hos. XIII, 15, ubi coniungitur cum thesauris, אוצר.

Auri et argenti immensam copiam Nini congestam fuisse, fabulosae fere veterum narratiunculae probant[1]; non defuerunt enim in illa regione uberrimae metallorum fodinae[2]. Quantum autem in arte metalla pretiosa fabricandi profecerint, cum ex ipsis eorum monumentis, tum ex Aegyptiacis intelligitur, in quibus auctore BIRCHIO, praestantissima vasa ex auro argentoque, capita leonina aliasque referentia figuras[3], ab Assyriae propriae incolis oblata saepius reperiuntur[4]. Vestium textarum praestantiam regum deorumque pallia in tabulis expressa hodieque testantur. At vero direpta ea omnia sunt ab hostibus, a Domino immissis; atque indiciis satis certis comprobatur, spoliata et evacuata esse palatia, priusquam cremarentur[5].

---

1) Cfr. LAYARD. Niniveh und seine Ueberreste p. 398 ss.; BONOMI l. l. p. 333.

2) Cfr. LAY. ibid.

3) Cfr. BONOMI l. l. p. 187.

4) Cfr. LAYARD. l. l. p. 399.

5) Cfr. BONOMI p. 326—336: „It is evident from the ruins that both Khorsabad and Nimroud were sacked and then set on fire. „„She is empty and voide and vaste.“ “ Neither BOTTA nor LAYARD found any of that store of silver and gold, and pleasant fourniture which the palaces

v. 11.

Vacuitas et evacuatio et exinanitio; et animus liquefactus, et titubatio genuum, et dolores parturientium in omnibus lumbis; et facies omnium eorum corripiunt ruborem. Praeclaris verbis, ipso eorum etiam sonitu adiuvante, quomodo urbs plane exuatur et excutiatur, primo versus membro pingitur; dein, quid victi interdum patiantur miseri, ad vivum exprimitur. בוקה ומבוקה a. v. בוק = בקק; praeterita esse nequeunt (Grotius), quia sensum referrent transitivum; imo nomina sunt, diversa ratione formata ad augendam verbi notionem, cfr. שאה ומשואה Zeph. I, 15, שמה ושממה Ez. II, 14, תאניה ואניה Ies. XXIX, 2. De verbo בוק cfr. v. 3. מבלקה a. v. בלק, coniunctum cum synonymo בקק Ies. XXIV, 1; forma Gesenio est part. Pu.; rectius Maur., Ew. paritatis caussa substantivum esse docent, quibus frustra exprobrat Hoelem., exempla eius deesse, cum formationis genus planum ratumque sit. Singularitas autem eo nos adducit, ut Nahumo obversata esse Iesaiae verba conseamus, XXIV, 1; neque vero inversa concedi ratio potest, cum continuis ibi assonantium verborum paribus concussae per iudicia divina terrae pingatur fragor, nostro autem loco unicum exemplum sit. Qua in vicissitudine eximium latet authentiae vexatissimi illius capitis documentum. — Notasse autem voluerim, non forma solum verborum verum numero etiam syllabarum contineri gradationem (2–3–4).

Sic spoliantur palatia, diripiuntur thesauri; quid autem beatos manet incolas? — *Animus liquefactus,* נמס part. Ni., non praeteritum propter sequentia et antecedentia; מסס = מגג cfr. I, 5, de cera dicitur Ps. LXVIII, de montibus Ies. XXXIV, 3; translate de maerore et timore Ios. VII, 5 וימס לבב העם ויהי למים; cfr. Deut. XX, 8; Ies. XIII, 7. XIX, 1 all.; similia dicendi genera proposuit Beckius Bibl. Seelenlehre p. 101. Secundo loco captivi patiuntur פיק ברכים vacillationem genuum rectius

---

contained; scarcely anything, even of bronze, escaped the spoiler, but he unconsciously left what is still more valuable. For to the falling in of the roofs of the buildings, by his setting fire to the columns and beams that supported them, and his subsequent destruction of the walls, we are indebted for the extraordinary preservation of the sculptures. In them we possess an authentic contemporary commentation of the prophecies etc."

quam dissolutionem (LXX. Syr. all.); substantivi פיק unicum hoc est exemplum; cfr. verbum Ies. XXVIII, 7. Tertium adduntur *dolores parturientium;* חלחלה per reduplicationem, vehementiae notandae caussa, cfr. Ew. §. 158, b, formatum a. v. חִיל; transfertur per similitudinem ad angorem summum Ies. XXI, 3; Ez. XXX, 4. 9. *Omnes* lumbi pro lumbis omnium ponuntur, uti postea כלם. Quam acerbe his verbis irridentur ii, qui antea v. 2 interpellabantur: חזק מתנים!

Additur vox satis vexata illa ab interpretibus: ופני כלם קבצו פארור, *et facies omnium corripiunt ruborem.* Singulare hoc dicendi genus unice apud Ioëlem II, 6 praeterea reperitur, unde certo repetitum est; parturientium quoque dolores in primo illius versus membro afferuntur; hoc tantum interest; quod ibi exponitur, quid ab aspectu Assyriorum ipsorum (vel sub eorum specie omnium irae divinae ministrorum) patiantur gentes, hic autem secundum tremendam talionis legem, quam per omne Nahumi vaticinium exerceri videmus, versa vice ad ipsos illa retorquentur Assyrios. Difficilis autem verbi פארור notatio est. 1) Errare magnopere existimo, quibus idem esse videtur ac פרור, olla; cfr. Num. XI, 8; Iud. VI, 19; 1 Sam. II, 14. LXX, LUTHERUM (in versione germ.), TARN., UMBR. all. Nonne enim subit mirari, si revera idem utrumque significaret, ubi proprio dicitur sensu semper defective, ubi translato, plene exarari? Accedit, quod א vix ita facile omitti potest; omittitur quidem aliquando, ubi genuina vocalis sub litera א constituta paullatim mutata est in alias, cfr. Ew. §. 86; sin manet vocalis, excidit interdum א in initio verbi vel in fine; in medio verbo vix tale quid reperiatur praeter Ierem. III, 22 אתנו pro אתאנו. (Neque vero exprobari nobis potest פרה, quod Ies. II, 20 murem significare aiunt; melius enim ibi חפרפרות tanquam unum accipitur verbum; cfr. GESEN. thes. p. 508; DRECHSLER. a. h. l.) Imo facilius nobis videtur פרור derivari a. v. פרר frangere, etiamsi reliqua verba ollam notantia סיר, דוד, קלחת ad radices pertineant, quae effervescere, ebullire significant; ollas enim figulinas maxime fuisse fragiles, nemo negabit, qui lagenas unquam Aegyptiacas vidit; cfr. etiam Ps. II, 9. Plurimum vero ipsa offendit imago: colligere ollam. Triplex scopus in medium propositus est: a) fervor ollae — at non ipsa fervet olla, sed quae intus continentur; b) nigredo a fumo illita; nigrescit quidem prae timore facies hominis (cfr. atram formidi-

nem VIRGIL. Aeneid. IX, 719 et exempla nonnulla ex Arabum scriptis collecta a BOETTICHERO chrom. arab. p. 3, qui ingeniose de hac sententia disputavit) — at quam ingens esset hyperbola! c) denique albescere sicut olla, tolerari magis posset, at ipse LUTHERUS, qui hanc sententiam versione sua expressit, bene notat in comm.: „absurda prorsus est metaphora, nec puto hoc voluisse prophetam!" 2) Alii palloris notionem verbo inesse docent. Verum quanto opus fuit itinere et circuitu ut SCHROEDERUS (ap. Kreenenium) ad hanc perveniat potestatem, cuius nihil ne affine quidem aliquid in universa rad. פאר ditione deprehenditur? 3) Felicius CALV., HITZ., HOELEM. ad eundem quidem pervenerunt sensum, cum significationem statuerent splendoris, quae usu verbi probe potest fulciri, cfr. פאר Pi. Hithp. ornare, פְּאֵר, ornamentum capitis, פֹּארָה, פֻּארָה frondes, ornatus arborum, תִפארת decus; deinde קבץ, quod apud illas interpretandi rationes debebat esse colligere, et nigredinem s. pallorem extrinsecus superaddi notare, iam id, quod proprium est faciei, recipi quodammodo intus significat; id quod eo commendatur, quod Piel habet vim intensivam, ergo קִבֵּץ corripere potius est quam mere colligere, cfr. Ies. XXIV, 16; Hos. IX, 6; Ez. XXIV, 13. Quo adde, naturam potius ferre ut pallescamus metu et terrore, quam rubescamus, nec non Ierem. XXX, 6 pallorem cum parturientium gestibus coniunctum proponi[1]. Cui explicationi cunctatus est GESENIUS ne assentiretur, quoniam tale dicendi genus flagitaret vel suffixum פארורם vel articulum, cum „sine suffixo positum talem vultuum naturam indicaret quali alias carere solerent;" hoc tamen argumentum tanti non fecerim; magis curandum videtur, quod nitor faciei lurido colori non adeo oppositus est quam rubedo. 4) Rubrum enim colorem acceperunt MENAHEM BEN SURKA, ABEN ESRA, EW. MEI. all.; qui cum cognatus magnopere cum splendore sit, tum repeti e dialectis potest; cfr. a. rad. ܚܡܪ, excandere ܐܬܚܡܪ, ܚܡܪܬܐ ira, furor, ܡܬܚܡܪܢܘܬܐ excandescentia; deinde فورة fervor, فوارة spuma ollae bullientis, فار effervescere all.; denique בער flagrare. Conferendum est etiam Ies. XIII, 8 פני להבים פניהם. Iam vero si קבץ intelligitur tan-

1) Notandum quoque est praeclarum dicendi genus, quod Persarum est, آب روی aqua vultus, i. e. splendor super faciem hominis beati effusus, cfr. NEUMANNI Wasser des Lebens p. 69.

quam colligere, sensus est: facies subducuntur rubore; diximus tamen pallescentes potius prae metu cogitari vultus quam erubescentes; quare secundum similitudinem verborum Ioel II, 6; Ierem. XXX, 6 ruborem subito correptum (v. supra) et intus receptum cogitamus, quemadmodum natura fert ut sanguis perterrefactorum a facie et membris recedat ad interiores corporis partes.

De forma et structura versus bene notat BURKIUS: „est inter puncta quattuor relatio immediata. Cor enim ubi liquefactum est intus, sequitur etiam foris titubatio genuum; et ex dolore lumborum facies contrahere solet atrorem“ (mutentur mutanda) „de dolore interno restantem. Similiter per chiasmum inversum cum corde facies, cum genibus lumbi correspondent.“

C. v. 12-14.

Expugnata et diruta urbe, direptis divitiis, incolis trucidatis vel in exsilium abductis, iam vasta et deserta loca praesagiente animo circumspicit vates, quae magnificentissimi olim caput imperii tenebat. Perculsus atrocitate iustitiae divinae et sacra simul excitatus ironia, revertitur memoria in statum priorem, cum terrarum ibi dominus nemine turbante maiestate sua et potentia gauderet v. 12, atque immensas deinceps opes vi et rapinis coacervaret v. 13. At vero Dominus exercituum una cum copiis armisque et spoliis undique congestis dominationem eius funditus evertit. v. 14.

v. 12.

„Immensa urbs ac fere insuperabilis per multa secula diruta iacet; imperii olim amplissimi munimenta, splendoris regiique apparatus domicilia hodierno die diffindit aratrum[1], aut seduli accolae, qui vias per medias ruinas sequuntur, conculcant. Verno tempore nunc aggeres graminibus se vestiunt[2], omniaque collium ab ipsa natura profectorum iugo tam similia sunt, ut NIEBUHRIUS[3], quae munimenta transgressus esset, Mossulae demum acceperit[4].“

---

1) Cfr. RICHII narrat. p. 38. 43. 53.
2) Cfr. AINSWORTHII Travels II, 141. 143. — 3) II, 53
4) TUCHIUS l. l. p. 55. 56.

— *Ubi est lustrum leonum, et pascuum, quod erat, leonum iuvenum? ubi incedebat leo, leaena, catulus leonis, nec erat qui turbaret?* —
Similes quaestiones insultantes simul et deplorantes cfr. Ies. XIX, 22. XXXIII, 18. XXXVI, 19. XXXVII, 13 all. איה usitatior pron. interrog. forma cum ה parag. מעון de thoum receptaculis alibi dictum, Ier. IX, 10. X, 22. XLIX, 33. LI, 37. אריות fem. plur. species cum notione masculina, uti patet e vv. 2 Reg. XVII, 25; cfr. Ew. §. 177, e; Ps. XXII, 21. Leones variis hic designatos nominibus habemus: כפיר villosus, i. e. leo iuvenis, גור אריה leo catulus; גור Ezech. XIX, 2. 3; Ps. XXV, 27, semel de thois catulo dictum Thren. IV, 3; postremo לביא leaena cfr. BOCHARTI Hieroz. I, 719; GESEN. thes. s. v.; temere CALINSKIUS all. leonem annosum intelligunt. Leonis similitudo tanquam regis belluarum fortissimi et rapacissimi apud omnes gentes celeberrima est [1]. Apud Assyrios maxima eius dignitas erat, uti e creberrimo eius usu ad exornanda vasa, vestes, arma, ipsasque etiam aedificiorum et conclavium portas passim in monumentis obvio intelligitur. — מרעה HITZ. non aptum esse leonum cogitationi opinatur; at ubi habitat leo, ibi circumiacentes quoque locos sibi electos habet, qui opimam subministrent praedam. אשר coniungendum cum שם, cfr. Ew. §. 321, d. שם simpliciter audit: ubi, melius quam quo (TARN., Ew.), scil. quo condebat rapinas et devoranda conferebat. הלך HITZ. apposite: sich ergieng. ואין מחריד summam indicat vel pacem et securitatem [2], vel potentiam et auctoritatem, quam nemo audet turbare, cfr. Lev. XXVI, 6; Deut. XXVIII, 26; MICH. IV, 4; Ies. XVII, 2; Zeph. III, 13 all. [3]

v. 13.

Continuatur magnificae similitudinis expositio: *Leo qui dilacerabat pro catulis suis, et suffocabat pro leaenis suis, et implebat*

1) Cfr. BAEHRII Symbol. I, 343 ss.

2) Quidnam haec sibi vox velit ubi de Israelitarum conditione dicitur, exposuit F. A. Strauss ad Zeph. III, 13.

3) Quam futilis sit KALINSKII ratio, e solo eventu de vaticiniis iudicante, luculenter sententia eius de hoc expressa versu docet: posse haec verba ad regiam tantummodo pertinere, cum urbs partim postea fuerit restituta! cfr. supra p. 27.

rapina cavernas suas et lustra sua laniato! Absente verbo, supplendum est אשר הלך שם. בְּדֵי literate: in sufficientia, i. e. secundum usum et necessitatem, = pro, cfr. Hab. II, 13; Ierem. LI, 58. CALINSKIUS artem notat regum Assyriorum, qui filiis et successoribus auctum deinceps et amplificatum tradiderint regnum; at totius potius comparationis scopus exhibendus est, neque vero singulis magnopere instandum. חנק Pi. suffocare 2 Sam. XVII, 23; Ios. VII, 15. טרף proprie laceratum aliquid, deinde saepissime rapina, praeda, cfr. III, 1; Num. XXIII, 24; Gen. XLIX, 4; Ies. III, 1; Ps. LXXVI, 5 הררי טרף, montes rapinae dicuntur regna mundana. Ceterum nisi e ll. ss. cognitum haberemus, quantopere et Israelem et gentes complures exuerunt Assyrii, ipsa nos monumenta docerent, quae nihil saepius quam tributa per vim imposita et spolia undique exhibent congesta. טרפה forma vel propter pausam, vel amplificandi caussa producta, semper significat laniatum aliquid, cfr. Levit. XXII, 5 coniuncta cum נבלה, VII, 24; Exod. XXII, 12; Ezech. IV, 14. חור caverna, foramen HITZ. minus apte de leonibus dici existimat, quam de latronibus; cfr. tamen BOCHARTI Hieroz. I, 737; 1 Sam. XIV, 11; Iob. XXX, 6.

v. 14.

En me ad te, dictum Domini exercituum! et comburo fumo currus eius, et leones tuos iuvenes consumet gladius, et exscindo ex terra rapinam tuam, nec audietur amplius vox nuntiorum tuorum! — Quemadmodum extremus primi capitis versus Domini induxit nomen et imperium, ita hoc quoque exstinguendae Nini propria indigitatur caussa, Dominus exercituum, cuius appellatio eximium sequentibus quoque adiicit pondus. הנני אליך succinctum dicendi genus, non raro obvium, cfr. III, 5; Ierem. LI, 25, עליך Ezech. XXVIII, 22; supervacaneum est supplere אבוא (KREENEN.), cum motionis et directionis notio contineatur praep. אל, cfr. ad I, 9; cfr. Iob. XXXI, 23 פחד אלי. Suff. fem., uti antea saepius, Ninum indigitat. Haec igitur tam atrocis excidii, haec tam ingentis trepidationis caussa est: Dominus ipse adversus Ninum movet castra, Dominus est, qui per instrumenta irae suae atque talionis stupenda illa omnia atque horrenda operatur. Iam ut intelligatur, quidnam sibi velit, ubi Dominus ipse ad ex-

sequendum procedit iudicium, additum est צבאות: Dominus deus est exercituum, siderum atque angelorum [1], quo omnis gloria omnisque potentia coniuncta continetur; sidera autem si ipsius parent nutui, eorum etiam deus est, quae tanquam numina sua colebant Assyrii [2]. Videant igitur Assyrii, videant Israelitae, quidnam ab hoc deo omnipotente sibi expectandum sit [3].

Et comburo fumo currus eius; הבערתי urere facio, praet. proph. בְּעָשָׁן Tarn., Maur. recte: ut penitus convertantur in fumum; nam בְּ notat moveri aliquid ad aliquem locum ibique manere cfr. Ew. §. 217 f, l. c. pag. 142; sensum reddiderunt Vulg. Grot. usque ad fumum. Transfertur haud raro similitudo fumi ad populos subito debellatos et dispersos, cfr. Ps. LXVIII, 3; Hos. XIII, 3; Ies. LI, 6; cfr. Ps. XXXVII, 20. Minus apte alii inter-

---

1) Cfr. Hengstenberg. Christol. III, p. 218; ad Ps. XXIV, 10. Beckii christl. Lehrwiss. p. 71 ss.

2) In theologia V. Ti. deinceps excolenda quam arcta necessitudine contineatur revelatio divina cum historia Israelis et educatione universa, praeclare intelligitur ex utriusque nominis ratione, quo cognitio dei prophetarum tempore amplificata est. ה' צבאות in primo Samuelis libro primum reperitur, et ingravescente una cum commercio populorum Sabaeismum colentium ipso simul inter Israelitas cultu siderum, saepius deinceps inducitur. (Conferantur quae F. A. Strauss, frater coniunctissimus, Vaticc. Zeph. p. 61 ss. disputavit de nominis usu et quidnam de indole et authentia ll. ss. inde concludendum demonstravit.) Alterum dei nomen קדוש ישראל, primum legitur in psalmo, ut videtur, Davidis LXXI, 22 et Assaphi LXXVIII, 41, tum vero Iesaiae proprium est, I, 4. V, 19 all.; docet autem deum Israelis esse talem, qui super omnes creaturarum rationes, super omnem praesertim peccati contagionem sit elatus atque excelsus (cfr. Hengstb. ad Ps. XXXII, 4). Ad quam cognitionem gravibus illis atque atrocibus iudiciis, quae maxime ab Usiae regis morte (cfr. Caspari syr.-ephr. Krieg, p. 17 ss.) imminebant eosque exercebant, si unquam, illa potissimum tempestate adduci debebant Iudaei. ויגבה ה' צבאות במשפט והאל הקדוש נקדש בצדקה, Ies. V, 16.

3) Beckius l. l.: „Der Name ה' צ' typisirt also Gott ... (Deut. X, 17; 1 Cor. VIII, 5; 1 Tim. VI, 15 ss.) als den mit aller Machtfülle auch innerhalb der höchsten Lebenssphären regierenden Gott, der allen seinen und seines Volkes Feinden als איש מלחמה Ex. XV, 3 gerüstet gegenübersteht. Ps. XLVI, 8 ss.“ Ibid.: „ה' צ' zuerst im Gebete der Hannah, deren nachfolgender Lobgesang c. II beweist, wie ihr Herz an der Macht und Stärke Gottes sich aufrichtet gegenüber trotziger Feindesstärke; gar häufig in Davids Mund, des Streiters Gottes, nie in Salomos, des Friedefürsten; herrschend in der kriegerischen Periode der Könige, wo das wehrlose, entkräftete Reich nach starken Bundesgenossen sich umsah ct.“

pretati sunt: in fumo, fumo circumdatos (MICH.), luculenta combustione, cuius fumus procul conspiciatur (DRUS.). רכבה sing. collectivus, veluti רכב ופרשים 1 Reg. X, 26; Ies. XXII, 7. XXXI, 1; nec ulla opus est correctura, quae sat multae exstiterunt; LXX sequente Syro *τὸ πλῆθός σου*. CALVINUS recte per synecdochen omnem docet apparatum bellicum intelligendum. Quanta enim curruum fuerit dignitas, cum notum sit e ll. ss. et veterum scriptis, tum monumentorum marmoribus satis superque commonstratur. cfr. supra ad v. 4. — Dum incendio conflagrantur currus et arma, ipsi milites et heroes, qui leonibus iuvenibus secundum imaginem vv. antecedentibus expressam comparantur, *devorantur gladio;* cfr. Deut. XXXII, 24; 2 Sam. II, 26. XVIII, 8; Ierem. II, 30. XLVI, 10. 14. — *Et exscindam e terra,* ex orbe terrarum, neque ex Assyriacis solum finibus, rapinam tuam, i. e. nusquam invenietur quicquam, quod rapina tua dici possit; apposite HOELEM.: nunc de actione dicitur. cfr. III, 19. Per *nuntios* duram suam exercebant tyrannidem, qui quantopere erant timendi, satis didicerunt a Rabschake! מלאכים regum nuntii cfr. 1 Sam. XVI, 19; 1 Reg. XIX, 2 all.; rara quidem productio est מלאככה, non tamen caret analogia, cfr. אתכה Exod. XXIX, 35; Zere alterum non Aramaismum sapit, sed e poetica ratione accommodatum est vocali antecedenti, quae eadem consonante regitur; cfr. Ps. CIII, 3. 4. 5; Ew. §. 258, a. Nihil igitur erat, quod I. D. MICH. suppl. p. 1505 legendum suaderet: מָלֵא כָּכָה, non audietur amplius vox tam plena. — Cfr. eadem fere verba de Babele enuntiata Ez. XIX, 9. Ceterum vv. nostra לא ישמע עוד dilucide respiciunt finem primi capitis: לא יזרע עוד.

CAPUT TERTIUM.

Quae altero capite fuerant explicata, eadem tertio alia ratione declarantur. Ac primum quidem I) sicario et interfectori caedes v. 1—3, foedae meretrici denudatio et ignominia praedicitur v. 4—7. II) Deinde, ne firmitate locorum et copiarum praestantia depulsuri imminentem casum videantur, Thebarum exemplo v. 8—10 proposito docetur, humana praesidia contra Dominum nihil valere v. 11—13. III) Imo, quo magis pollent numero et viribus, eo certior, eo cumulatior erit ruina v. 14—17, qua ob immanitatem flagitiorum et scelerum magnificum Assyriorum regnum exstinguetur, v. 18, 19.

Iam vero hanc vaticinii partem non alienam esse ab antecedenti, sed arctissima cum ea contineri necessitudine, nemo negabit, qui vel obiter extremos alterius capitis et tertii primos versus inter se contenderit. Vates enim ingenti scelerum ab Assyriis commissorum memoriae aliquamdiu immoratus atrocem declamat retributionem, quam profusum sanguinem videt sequi. Quare vel hoc ipso argumento eorum infringitur sententia, qui alteram deinceps expugnationem Nini et eversionem describi cavillarunt (Huetius demonstr. evang. propos. IV, Calinsky, Bertholdt.), cuius memoriam iamiam exstinctam esse iure asseverat Haevernickius Einl. Defensa est uberrime et singulis adaptata versibus a Kalinskio, qui e perversis suis de rebus Assyriorum opinionibus altero capite expugnationem sub Sardanapalo ab Arbace factam, tertio autem a Cyaxare sub Chyniladano describi contendit; contra quem Eichhornius Einl. III, p. 282 ss. multa satis accurate disputavit. Proprium est autem poesi et visionibus vatum, quod easdem res a diversis quasi partibus profecti saepius retractent; atque adeo altera haec evertendae Nini decan-

tatio caussas maxime et certitudinem ruinae et magnitudinem proponit.

Haud secus improbamus Ewaldi sententiam, qui novum hostium impetum describi arguit; nec assentimus Schmiedero, cum ita huic capiti inscribat: „Dieser Gesang gehört in die Klasse der Klagelieder, ist aber seinem Inhalte nach vielmehr ein Droh- und Strafgesang.“ Nam praeter eam communionem, quae omnino intercedit inter poësin et prophetiam, nihil est, quod genuinam carminis naturam indicare valeat; cfr. Habak. c. III; Ion. c. II.

A. v. 1–7.

a. v. 1–3.

Ingens caedium et rapinarum ab Assyriis perpetratarum multitudo v. 1 sanguinolentam flagitat ultionem. Confestim praesagiente animo vates fuscum iam curruum celerrime actorum audit clangorem v. 2, advolantes cernit equitum turmas v. 3 α, et immensam simul atque inauditam stragem trucidatorum v. 3 β b.

v. 1.

Vae urbi sanguinum! Tota fallaciae, violentiae plena! non desinit rapina! Vocula הוי haud raro in limine vaticiniorum dira iudicia minantium reperitur cfr. Ies. X, 1. 5. XVII, 2. XVIII, 1 all.; Am. VI, 1; Mich. II, 1; Ierem. XLVIII, 1; pertinet autem, uti probe notavit Casparius Beitr. zur Einl. zu Ies. p. 65, ad res futuras ubique, exceptis elegiis defunctorum 1 Reg. XIII, 30; Ier. XXII, 18. XXXIV, 5. Tertium Zephaniae caput eadem vociferatione incipitur de Hierosolymis. Ewaldus, qui hunc versum alteri capiti addendum existimat, neglexisse videtur, quod v. הוי novum deinceps initium designare solet; quo adde, quod II, 14 praeclare concinere vidimus cum I, 14 (לא יר' ע'), et quod עיר דמים arcte cohaeret cum v. 2. 3 tanquam caussa iudicii imminentis. דמים culpam profusi sanguinis significat, cf. Exod. XXII, 1; Deut. XIX, 10; Ps. LI, 16; Hab. II, 12. Stat autem immutabilis divinae talionis lex illa, ut profusa sanguis redeat in caput interfectoris Gen. IV, 10. IX, 5. 6. Quare si quis sanguinis reus est (cfr. איש ד' Ps. V, 7; בית ד' 2 Sam. XXI, 2; Ez. XXII, 2;

עיר ד' Ezech. XXIV, 9) ipse eiusmodi titulus certum in se sanguinolentae retributionis gerit indicem.

Prius vero quam eveniat poena, dira Nini flagitia tribus iisque progressu quodam coniunctis proponuntur nominibus. Primum exprobratur כחש, fallacia, cfr. Hos. IV, 2. X, 13. XII, 1, „quia vanis pollicitationibus auxilii et protectionis gentes decipiebat," ABARB., uti expertus est Ahas. Regitur vox v. מלאה; nam פ' מ' vix adeo potest abscissum stare ac vult HESSELBERGIUS, qui vertit: „tota est fraus;" neque vero DE WETTIUS probe quattuor vv. priora כ' כ' פ' מ' refert ad ימיש. Ἀσυνδέτως sequitur פרק; Gen. XXII, 40; Ps. VII, 3.; Ez. XIX, 12 verbi notio est rumpendi, frangendi, quae communis est radicibus in — rag exeuntibus (הרג ῥήγνυμι all.); nomen unice praeterea legitur Obadi. v. 14, ubi audit bivium; quod cum accipere nullo modo possimus, licet Iudaeis fere visum sit, violentiam intelligimus secundum stabilitum verbi usum. LXX non accurate reddiderunt: ἀδικίας πλήρης; Aquila ἐξαυχενισμός. HIERON. excervicatio; SYMM. ἀποτομία. מלאה cfr. II, 13. 14, cui voci distinctius respondet לא ימיש, id quod PISC., IUN., TREMELL., GESEN. thes. MAUR., UMBR. interpretantur: non remittit rapinam; verum satis durum esset mascul. vestigia premens fem. מלאה, et, quod vel maximum est, מוש ubique sumitur sensu intransitivo praeter Sach. III, 9 משתי את־ עון הארץ, praesertim in f. Hiphil nullum est exemplum, quod removendi potestatem flagitet; nam Mich. II, 3 non vertendum est: „unde reducetis colla vestra," imo „unde non recedetis collis vestris (cfr. Ew. §. 281, c), coll. v. 4 „quomodo evadit mihi" praeda iniuste arrepta! cfr. Ierem. XVII, 8. Qui sensus offendit HITZIGIUM, quia 1) nec enuntiatio relativa satis constare possit; ac non est relativa, sed eadem res antea participio inducta iam continuatur verbo finito; 2) quia desit aliquid eiusmodi: מסכה s. v. a.; verum nonne satis est dicere; non recedit, non desinit rapina, semper copia inest praedae? DRUS., TARN., HOELEM. all. solutius: quae semper vixit ex rapto. Plane aberrat Peschito: non sentitur in ea contritio; LXX οὐ ψηλαφηθήσεται θηρία. — Gradatio autem haec est: primum fallacia allicit et decipit gentes (cfr. v. 4) dein violenter percellit et exuit, idque continenter admittit.

v. 2.

Vox flagelli, et vox strepitus rotae! et equus citato cursu currens et currus subsiliens. „Horch! Peitschenknall und Radgerassel Schall, und Ross im Jagen, und hoch aufspringender Wagen!" HOELEM. — Sanguis scelesta manu profusus ultionem serius ocius exigit. „Mox superveniet tibi, et per visionem mihi iam audita est vox ct." I. MICH. Binis membris bipartitis absolvitur versus, bis posito, bis omisso קול; id quod HOELEM. supra apposite nostro reddidit Horch! cfr. Ies. XL, 3. LII, 7 all. שוט flagellum aurigae, una cum milite currui insistentis (cfr. ad II, 4), cfr. 1 Reg. XII, 11; Prov. XXVI, 3. De v. רעש cfr. ad I, 5; non audit hoc loco trepidare uti Ex. XII, 18, sed strepitum notat rotarum tremulo motu concitarum, cfr. Ies. IX, 4; Ier. X, 24. וסוס דהר equum MAUR. recte monet non equitis esse, sed currui iunctum; hic enim versus de curribus, sequens de equitibus agit. דהר, ἅπ. λεγ. quid significet e nom. דהרה Iud. V, 22 coll v. דור concludendo elicimus: citato cursu currere; designatur igitur sonitus equorum concitatorum solum calcantium, sicuti CALINSK., CASTALIO de equis quadrupedantibus cogitarunt. Cfr. BOCHARTI Hieroz. I, 97; LXX ἵππος διώκων. Cfr. equos currentes una cum curribus commemoratos Hab. I, 8; Ier. IV, 13; Ioel II, 4. 5. Postremo additur ומרכבה מרקדה, *et currus subsiliens*, cfr. Ioel II, 5: „ut vox curruum super capita montium subsiliunt מרכבה id est, quo quis vehitur, sicuti מרכב Lev. XV, 9; 1 Reg. V, 6 all. רקד saltare, subsilire Ios. XIII, 21; Iob. XXI, 11; 1 Paral. XV, 29, qua voce praeclare pingitur raucus clangor curruum celerrime actorum atque impeditum solum offendentium.

Monendum vix videtur, errore captum fuisse CALINSKIUM, qui vv. 2. 3. exercitus ad pugnam sese parantis vidit descriptionem, magisque etiam HIERON., DIONYS. CARTHUS., COCCEIUM all., cum de Assyriis ipsis, neque vero de hostibus eorum agi opinarentur, nulla habita nec v. 1mi nec 4ti ratione.

v. 3.

Rauco illo exercitus eminus appropinquantis sonitu auribus quasi perceptis, et oculis subito ad eam regionem conversis, iam magnificum equitum agmen advolare vidit vates: *Eques ascendere*

faciens, et flamma gladii, et fulgur hastae — et multitudo trucidatorum, et magna copia funerum; nec finis est cadaverum, offendunt in cadaveribus eorum. — פרש מעלה. Mirari subit, quid fuerit, quod in tam simplici dicendi genere tantopere laborarint interpretes: facillime vox ita redditur: *eques ascendere faciens;* quem faciat ascendere, quaeritari diu nequit: equum nimirum, cum insistat calcaribus, praesertim ad impetum in hostes faciendum; idque nescio quomodo pugnare cum nexu sententiarum videatur. Recte, ut nobis videtur, hoc fere modo interpretati sunt Gesen. thes., Maur., Hoelem., quantumvis eo peccaverit Maurerus, quod equem pro equo dictum existimaverit (id quod admitti nullo modo posse probavit Delitzsch. ad Hab. p. 13), et ascendere pro altum facere. Iam vero e multiplicibus interpretum sententiis, cum satis magna rei non sit gravitas, nonnullas tantum recensebimus. 1) Intransitivo sensu vocis notionem expresserunt LXX ἱππέως ἀναβαίνοντος, Vulg. Umbr., Hitz., sensu omnino quidem perspecto, neglecta tamen verbi forma. Nam part. Hi. potest quidem abire in potestatem f. Kal, modo omnino eam habeat f. Hiphil; at vero העלה ubique transitive usitatum legitur, quare solum part., nisi urgente necessitate, ab hac regula excipi nequit. Frustra in hoc genere Hitz. advocat Ierem. XLVI, 4, ubi mere habetur עלו הפרשים, ascendite equites (in equos)! et Mich. III, 7 ubi non legimus part. sed stat. constr. מַעֲנֵה responsio dei; ac ne quis per calami aberrationem Zere positum cavillet pro Segol, Hi. a. v. ענה nusquam respondere, sed opprimere audit. 2) Transitivam notionem haud probe perceperunt a) qui Deum statuerunt esse subiectum cogitationi, veluti I. H. Mich.: „equitatum hostium adducturus est deus," coll. Ies. VIII, 7; Ier. L, 9; at licet עלה haud raro de hostibus in terram irrumpentibus dici viderimus ad II, 2, nihil est tamen in antecedentibus et sequentibus, quo de deo eundem in modum cogitandum moneamur ac II, 4. b) Kimchius all. obiectum perperam quaerebant in vv. ולהב ונו, secundum latinum genus dicendi et – et, coll. Gen. XXII, 4 וישא וירא — id quod comparari omnino non posse, vix debebit notari. c) Restabat ut supplendum aliquid videretur, v. c. ascendere faciens se; quid vero, quaeso, non scripsit vates עֹלֶה? Magis commendatur Ewaldi disputatio in annotationibus exposita: „העלה scheint als kriegerischer Ausdruck das Aufheben der Waffen, das sich zum Kampfe bereit halten

zu bedeuten, daher auch gleich das Blinken der entblössten Waffen folgt." Satius tamen nobis videtur, ut apud simplicem illam sententiam primo loco propositam remaneamus, quam ipse etiam Ew. in versione sua expressit: anstürmender Reiter; praesertim cum de armorum specie sequentia agant, et vehementia insuper impetus insilientibus equis magnopere augeatur. — Sequuntur in eodem membro commemorata: *flamma gladii et fulgur hastae;* להב, cfr. להט ח' Gesen. III, 24; flammae et ignis similitudo latius etiam patet ad gladios translata, cum devorare dicantur et vel ore ornentur. cfr. II, 14. ברק fulgur, gladio quoque tribuitur, cum vibratus solis reflectat radios, Deut. XXXII, 41. חנית. hasta constat e ligneo hastili עץ ח' 2 Sam. XXIII, 7 et cuspide ferrea; legitur etiam להב ח' 1 Sam. VII, 7; Iob. XXXIX, 23 all., cfr. Hab. III, 11 לנגה ברק חניתך, Sach. IX, 13.

Recte Masorethae v. חנית distinxerunt signo Sakeph; nam caussas iam sequitur effectus, arma vibrata caesorum ingens multitudo. Notandum est autem, quod longe celerior hoc capite proponitur interitus Assyriorum: in c. II expugnationem potius urbis et incolarum spoliationem et captivitatem descripsit vates; hoc autem loco una cogitatione unoque quasi conspectu oculorum eminus advolantes hostes et immensam caesorum stragem complectitur. חלל semper trucidatum significare, refutatis GREVII et KENNICOTTI nugis, qui pedites, milites expeditos interdum intelligendos hallucinantur, ostendit GESEN. thes. כבד prov. XXVII, 3 gravitatem indicat, Ies. XXX, 27 vehementiam; hoc loco veluti כבוד cfr. II, 10 multitudinem designat, ut nos fere: schwere Menge. פגר cadaver, funus Ies. XIV, 19. XXXIV, 3.

Altero membro camporum cadaveribus quasi obsitorum imago amplificatur ואין קצה cfr. II, 10. גויה subst. coll. a. v. גוה fluere, (cfr. גוי), corpora proprie vel vivorum vel mortuorum, cfr. Ps. CX, 6; 1 Sam. XXXI, 10. 12. LXX solutius *καὶ τοῖς ἔθνεσιν αὐτῆς*. Suff. אם — cadavera indicat tanquam ab hostibus caesa, uti probe vidit HOELEM.: „non Assyriorum per se, sed confossorum." — *Ἀσυνδέτως* et magno cum pondere clauditur agmen verbis יכשלו בגויהם; cfr. II, 6. Forma verbi quae habetur in textu Masorethico יִכָּשְׁלוּ explicari omnino nequit; KERI וְכָשְׁלוּ, quod sequuntur LXX. Vulg., praeter commutationem literarum ideo alienum ad hoc loco esse probe vidit HITZ., quia „der Satz, welcher keinen Fortschritt ausspricht, sondern nur die Unend-

lichkeit der Leichen veranschaulicht, schicklicher ohne die Copula steht;" tutius erit lectionem aliquot libb. Mss. et editionum sequi (cfr. I. H. MICH. annot. et ROSENMUELLERUM a. h. l.) יִכָּשְׁלוּ uti II, 6, fut. Ni., cui contrarium esse nequit, quod HITZ. speciem Ni. maxime per similitudinem enuntiari contendit, nam hic quoque translate potius dictum videtur, et respondere quodammodo vv. ואין קצה, sicuti LUTHERUS reddidit: „dass man über ihre Leichname fallen muss."

b. v. 4 – 7.

Iam vero vates revocata in memoriam tantae stragis caussa, immanium flagitiorum multitudinem, scorti imagine adhibita, Assyriorum scelera in gentes perpetrata proponit v. 4, dein fore asseverat ut ignominia eorum publice a Domino exercituum detegatur v. 5, ipsi in atrocissimum tam peccatorum v. 6 quam supplicii abeant exemplum v. 7.

v. 4.

Propter multitudinem scortationum scorti, venustae grotiositate, magistrae praestigiarum, quae vendebat populos stupris suis et gentes praestigiis suis. Scortationis similitudo diversis rationibus translata in ll. ss. reperitur; primum, ut defectum a Domino et idololatriam significet, maxime de Israele dictum, secundum coniugii imaginem in Cantico expositum et Hoseae praeter ceteros usitatum. Ita nostrum locum interpretatus est GROTIUS; at nihil hic de cultu deorum, nihil de destituta dei unius verique religione. Imo altera similitudinis ratio accipienda est, quam, refutata GROTII opinione, praecise definivit HENGSTB. Apoc. II, p. 145: „die in das Gewand der Liebe sich hüllende und unter ihrem Scheine Befriedigung des eigenen Gelüstes suchende Selbstsucht." Cogitanda sunt igitur „dolosa foedera illa, quibus alias gentes ad se pertraxerunt Assyrii et sibi tandem subiecerunt," ABARB., CALV., I. D. MICH., KREEN., MAUR., UMBR., HITZ. all. Quae interpretatio quam sit idonea et unice simul admittenda, e collatis vv. 1 et 4 – 7, magisque etiam e reliquis versus nostri verbis satis superque apparet. I. H. MICH., KALINSK. utrumque sensum

perperam coniunxerunt; PISCATOR autem solas blanditias in emendo quaestus faciendi caussa admissas intellexit, nescio an coll. Ies. XXIII, 15 ss.; id quod uberius exposuit EWALDUS: „Ninive's Handel erscheint hier unter dem ganz neuen (?) Bilde der Buhlerei mit andern Völkern“ ct.; est quidem communis utrique explicandi generi cogitatio quaestus; at pecuniae et opibus nullus in hac enuntiatione potest locus esse, ut continuata ipsius EWALDI disputatio ostendit. cfr. UMBR., HITZ. Eiusmodi autem scortationis exempla Israelitae satis dilucida erant experti, veluti a Tiglathpilesaro, qui auxilio praestato Iudaeam suae subiecit ditioni, et a Rabsake Ies. XXXVI, 16 all. — Imago scorti commemorata venustate amplificatur. טוב venustum significat uti Gen. VI, 2 all.; additur accus. latius patiens ille, חן, venusta gratiositate sua; cfr. אשת חן mulier gratiosa Prov. XI, 16. V, 19. Venustas illa et gratiositas ad universum eius habitum referenda potius quam, quod voluerunt nonnulli, ad linguae elegantiam restringenda. — Praeter scortationes improbrantur Nino כשפים, alias quoque coniunctae cum זנ׳ 2 Reg. IX, 22; Ies. XLVII, 9. 12; Mich. V, 11, incantationes, magicae artes, praestigiae. MAUR.: „intellige scortationes de amicitia simulata et fraudulenta, praestigias de callidis consiliis machinationibusque occultis ct.,“ acutius HITZ.: „die versteckten Ränke, die gleich magischen Künsten nicht selbst, sondern erst in ihren Wirkungen an den Tag treten.“ — De v. בעלת cfr. I, 5.

Quid commiserit meretrix illa, altero membro subiungitur; *quae vendebat gentes ct.* גוי׳ gentes fere notare populo Domini oppositas constat, hic vero omnino de gentibus dicitur, non exceptis Israelitis; non enim de certis quibusdam nationibus agitur. מכר vendere, translate significat: in potestatem alicuius redigere, Deut. XXXII, 30; Iud. II, 14. III, 8. IV, 2. 9. X, 7; Ez. XXX, 12; Ps. XLIV, 13. Aliter notionem verbi definiverunt KREEN., SCHEIDIUS, I. D. MICH. suppl. all.: decipere, irretire, quo et ipse tendit HITZIGIUS, cum מכר scriptum argueret pro כבר=כמר, quod nec necessarium et irritum omnino videtur, ubi probe explicantur verba. Quid igitur venditio sibi gentium vult? Si MAURERUM sequamur, „dicitur artibus suis libertate privatos populos servos vendidisse populis aliis“ scl. Ioel IV, 3. 6-8; Am. I, 6. 9, iure respondet HITZ., non in aliorum sed in suum commodum Assyrios subegisse gentes. Recte omnino I. H. MICH.: „libertate

sua exutos in servitutem redegit et sibi mancipavit.“ Expressam ergo v. מכר habemus cumulatam privandae libertatis notionem UMBREIT.). cfr. Ps. XLIV, 13; 1 Reg. XXI, 20. 25. HITZIGIUS ut vendendi potestatem labefactaret, debuisse scribi כְּ asseverat neque vero 'בזנ; at scortationes non pretium, sed instrumentum sunt venditionis! Haud probe KALINSKIUS venditione seductionem ad idololatriam intelligit, qua factum esset ut deceptae gentes poenae divinae loco aliis subiicerentur. — משפחה familiam gentis designat Gen. X, 18. 20. 31; Sach. XII, 12 ss., integros populos Ier. VIII, 3. XXV, 9; Ez. XX, 32.

v. 5.

Terrarum orbem subiecit sibi Assur; quis est qui vindictam sumere de ea valeat? — *En me ad te, dictum Domini exercituum, et retego syrmata tua super faciem tuam, et videre facio gentes pudenda tua et regna ignominiam tuam.* הנני cfr. II, 14. Nomen Domini exercituum eadem ex caussa hic proponitur, quam vidimus supra. Nimium autem vidit HIERON., cum haec sibi velle verba existimaret; „ipse ad te veniam ad te subvertendum, non mittam angelum, non credam aliis iudicium;“ imo rem acu tetigit CYRILLUS, qui sic interpretatur: ὅτι μὴ πρὸς ἄνθρωπον ὁ λόγος αὐτῇ, μήτε μὴν ὁ πόλεμος, ἐπεμήνισε δὲ μᾶλλον ὁ τῶν δυνάμεων κύριος κτλ. — גלה cfr. II, 8. Scortum punitur ad suum modulum et sicuti meruit: cfr. Ies. XLVII, 2; Hos. II, 5; Ez. XVI, 36. 37; Ier. XIII, 22. 26; Apoc. IV, 18. שול syrma cfr. Ies. VI, 1; Ier. XIII, 22 legitur שבל; fimbrias non accurate alii intellexerunt cfr. GOUSSET. p. 1603. מער praeter hunc locum unice habetur 1 Reg. VII, 36, ubi significat spatium vacuum, i. e. non tectum aliquid seu apertum; inde hic = ערוה. קלון eodem modo oppositum v. כבוד Hos. IV, 7; Habac. II, 26 all.

Quae verba ubi comparamus cum Ies. XLVII, 2. 3 et Ierem. XIII, 22 – 26 concentum haud fortuitum reperiemus. Ies. l. l. in initio cantici illius de interitu Babelis sic vociferatur: „depone velum, detege crus, abi super fluvios! detegatur nuditas tua (ערותך), etiam cernatur ignominia tua (חרפתך); et sicuti aperte interdum Iesaiae vaticinia Nahumi animo observata intelleximus, ac nisi literate, ad sensum tamen recitata, ita haec quoque verba

de Babele enuntiata a nostro vate ad Assurem, futurae Babelis quasi praesagium, translata dicemus [1]. Iam vero luculentius Nahumi voces vv. 4. 5 resonuerunt apud Ieremiam XIII, v. 22, qui Iechoniae, Iudaeorum regi et matri eius, cum gentium peccata sequi non erubuissent, eandem praenuntiat poenam, quam gentibus imprecati erant prophetae priores, et eadem meretricis constituta imagine, v. 22 „propter multitudinem," inquit, „peccatorum tuorum, ברב עונך cfr. supra v. 4, deteguntur syrmata tua, נגלו שוליך, et per vim nudantur calces tuae;" et accomodatius ad nostra verba v. 26: „atque etiam ego detego syrmata tua super faciem tuam, et cernitur ignominia tua, ונראה קלונך."

v. 6.

Et coniicio super te abominanda, et contemtam te reddo; et constituo te tanquam exemplar. Non satis est, ut nequitia eius publice denudetur, sed contumeliose etiam et cum infamia omnium conspectui exponitur. שקוץ LXX *βδέλυγμα,* res, cuius taedet aliquem, ubicunque praeterea invenitur, idola significat abominanda Deo et populo eius, et quaecunque ad ea pertinent, cfr. 1 Reg. XI, 5. 2 Reg. XXIII, 13. 24; Sach. IX, 7; Dan. IX, 27; hoc autem loco specialis illa potestas, quam retinere MICH. maluit, tolerari vix potest, nec comparatio vv. I, 14 tanti facienda est; imo longe maximam interpretum secuti partem apud ampliorem significationem sordium, stercoris remanemus; stercora enim et sordes in aliquem coniicere summum contemtum et infamiam notat, uti proprio sensu sequens asserit verbum: ונבלתיך, et contemtam te reddo, s. contemtim tecum ago. נבל Pi. contemtum alicuius verbis s. factis exprimere, cfr. Ies. XIV, 21. Deus autem quos contemnit seu pro nihilo habet (cfr. I, 14 כי קלות) eos exstinguit atque evertit. ושמתי כראי, et constituo te tanquam exemplar. רֳאִי in pausa רֹאִי, singulare formae genus a. v. ראה ter praeterea repertum: Gen. XVI, 13 sensu visionis, 1 Sam. XVI, 12; Iob. XXXIII, 21 notione aspectus; recte igitur LXX exhibent *παράδειγμα*, et interpp. plerique: exemplum, spectaculum. Sensus in promptu est: „edam in te exemplum vindictae tuae," TARN., „ut, quoties de magnis peccatis aut de

1) Cfr. KUEPERI Ierem. ll. ss. interpr. p. 137.

magno supplicio narrabitur, statim in exemplum adducaris,“ MENOCHIUS; nos fere: du sollst exemplarisch bestraft werden. Cfr. Ez. XXVIII, 17: „in terram te proiiciam coram regibus et tradam te ad intuendum te“ ct., נְתַתִּיךָ לְרַאֲוָה בָךְ. Exempla eiusmodi plura suppeditat N. T., veluti Matth. I, 19: *μὴ θέλων αὐτὴν δειγματίσαι*. 1 Cor. IV, 9: *θέατρον ἐγεννήθημεν τῷ κόσμῳ*. Hebr. X, 33 all. Qua simplici significatione relicta alii rei despectae vel stercoris notionem statuerunt, DRUS., MARCK., KALINSK., quam refutavit GOUSSETIUS p. 1454.

v. 7.

Et fit, ut quisquis te conspexerit, fugiat a te et dicat: devastata est Ninus! quis est qui condoleat ei? unde quaeram consolatores tibi? וְהָיָה ad augendum enuntiationis pondus in limine positum; cfr. Ies. LXV, 24; Ioel III, 5. רֹאַיִךְ praeclare revocat illud רֹאִי v. 6. נדד cfr. v. 17; Ies. X, 31. XXII, 3 ss.; Ps. XV, 8, fugere, „horroris et odii signum,“ CALV., „velut a Nidda, re foeda 2 Paral. XXIX, 5,“ MICH. שָׁדְּדָה rarior f. Pual species pro שֻׁדְּדָה Ies. XV, 1. Similis de vastata Moabitarum terra habetur exclamatio Ier. XLVIII, 20: כי שדד מואב — הביש מואב. cfr. XI, 8. נוד agitari, commoveri, scil. capite cfr. Iob. XVI, 4. 5, commiserantis signum; נוד ל׳ agitari alicui, in alicuius commodum, haud raro dicitur pro: commiserari, consolari aliquem, cfr. Ier. XV, 5. XVI, 5. XLVIII, 17; Ps. LXIX, 21. — מאין, אי addito ן non paragogico, sed veteris appositionis נה reliquia cfr. Ew. §. 164, c, quod unice in hoc dicendi genere, adiuncto מ, reperitur. Commutata tertiae p. in alteram nota vivido orationis genere satis explicatur. Vix autem dubitandum est, quod non liquebat HOELEMANNO, ultima haec verba ad homines ingentem interitum declamantes, neque vero ad deum esse referenda. — Ceterum indiciis luculentissimis, a KUEPERO l. l. p. 140 expositis, probatur, hunc versum rursus ad Iesaiae similitudinem esse expressum, qui tristem Iudaeorum statum c. LI, 19 hisce deplorat verbis: „dua illa tibi obviam venerunt: quis te consolatus est? devastatio et ruptio et fames et gladium — quem faciam te consolari,“ מִי אֲנַחֲמֵךְ? ac ne fortuito haec ita videantur concinere, Iesaiani libri memoriam paullo infra v. 10 deprehendemus; quo adde quod II, v. 1. eandem Iesaiae pericopam olere intelleximus.

B. v. 8-13.

Iam vero ne Ninus opportunitate situs et opibus cladem illam (v. 1-3) et ignominiam (v. 4-7) posse avertere videatur, Thebarum affertur exemplum, quibus, uti praesagiente animo fore aliquando vidit vates, nec locorum longe praestantior opportunitas et firmitudo v. 8 nec ingens copiarum multitudo v. 9 profuit, quin caperetur et incolae eius in captivitatem et miseriam abducerentur v. 10. Haud alia erit, in quam Ninus incidet, calamitas v. 11; omnia loca munita nullo fere negotio occupabuntur v. 12, et fines elapso fortissimae olim gentis animo aperti, ab hostibus capientur, v. 13.

a. v. 8-10.

Prius quam ad explicandam hanc pericopam accedamus, quaerendum est, quando expugnatio illa Thebarum, de qua legimus, et a quo tandem facta omnino esse videatur? Satis diversae interpretum de hac quaestione extiterunt sententiae, e quibus, cum longum sit, enumerare ad unam omnes, gravissimas deinceps recensebimus. Quo facto fieri non posse intelligemus, ut factum aliquod praeteritum respici statuamus, licet longe plurimis ita placuerit, nec prima verborum species tale quid non suadere videatur, imo futuram quandam cladem praenuntiari.

Ac primum quidem, si in ipsa vatis inquiramus verba, num aliquam suppeditent eius gentis cogitationem, ad quam victoria et expugnatio referenda sit, nihil omnino elici potest; hoc tamen affirmare pro certo debemus, ab universa loci indole et ratione neminem longius abesse quam I) ipsos Assyrios; id quod probe perspexit EWALDI sagacitas, et GESEN., qui cum antea[1] longe aliter iudicasset, serius[2] ingenue concessit. Nonne enim, si aliter esset, aliqua atrocissimae talionis facta mentio fuisset? neque potest exprobrari nobis, quod per omnem Nahumi librum tacitam et quasi occultam retributionem indigitavimus; ea enim, qualia erant, universam Assyriorum agendi rationem referebant;

---

1) Cfr. comm. in Ies. I, 641 ss. vide sis infra s. n. IV.

2) Cfr. Hallische Literaturzeitung 1841, No. 1.

Thebarum autem ab ipsis illis facta expugnatio et eius populi destructio atque deportatio (cfr. v .10), quocum per integra fere secula de imperio orbis terrarum dimicaverant, quae primum atque summum locum inter omnia bellicosissimae gentis facinora tenere debebat, ea ratione commemorari nullo modo poterat. Nihilominus maxima interpretum pars ab ipsis Assyriis factam illam Thebarum eversionem opinabantur, atque in inveniendo aliquo rege et tempestate aliqua, cui adscribi illa posset, gravi sese exercebant labore; quibus maxime insuper contrarium est, quod nusquam idonea quaequam eius commemoratio nec in ll. ss., nec in veterum scriptis [1], nec in monumentis Assyriorum vel Aegyptiorum reperiri potest; non enim de victoria aliqua vel clade Aegyptiis inflicta agitur, sed de expugnatione capitis celeberrimi et incolarum exsilio. Nam 1) qui de Salmanassaro cogitant (ZORNIUS [2] all.), vel, quem eundem fuisse diximus, de Sargone (GESEN., HESSE [3], SUESSKIND [4], UMBR., HITZ., SCHMIEDER), maxime provocant ad XX^{mum} Iesaiae caput, unde colligant, Tartanem, Sargonis imperatorem, Aegyptios et Aethiopes debellasse atque in exsilium deduxisse; de cuius capitis explicatione idonea cfr. proll. 2) Alii ad Sanheribum memorabile factum detulerunt (USSERIUS, PRIDDEAUX, GREVE, KREENEN.); in quorum favorem laudata sunt IOSEPHI verba (Arch. X, 1, 4), qui auctore BEROSO Sanheribum cum Aegyptiis bello conflictasse tradit; at vero nihil commemorat de eversione Thebarum, nec de victoria quidem Assyriorum [5]; quo accedit, quod nec post cladem illam apud Hierosolymam acceptam ullus eiusmodi expeditionis locus est, nec antea [6]; atque ipse etiam Sanheribus, cuius res ante funestum illum reditum gestae satis accurate perscriptae nuper emerserunt e ruinis, debellatos quidem a se ipso Aegy-

1) Id quod fatetur etiam GESENIUS comm. in Ies. p. 642.

2) Cfr. disputationem eius diligentissime compositam illam: De historia et antiquitatibus urbis Thebarum, opuscc. ss. 1731, II. p. 322 ss. cfr. p. 387.

3) De rebus Assyriis. Vratisl. 1836.

4) Bemerk. zu Nah. III, 8. 16. Studd. u. Kritt. 1835, 1, p. 149 ss.

5) *Ἀλλὰ καὶ Βηρωσσὸς ...... μνημονεύει τοῦ βασιλέως τοῦ Σεναχερίβου, καὶ ὅτι τῶν Ἀσσυρίων ἦρχε, καὶ ὅτι πάσῃ ἐπεστρατεύσατο τῇ Ἀσίᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ κτλ.*

6) Cfr. ZORN. l. l. p. 378 ss. KALINSKY p. 94 ss.

ptios et Aethiopes apud oppidum Lachisch gloriatur [1], cum Aegypti ipsius expugnationem certo non omisisset; imo ipse Tirrhaka, nescio an propter ignominiosum illum receptum [2], debellatos iactat Assyrios [3], idque in ipsis Thebarum monumentis. 3) Postremo, ne quis videatur omissus esse, Assarrhadonem etiam sibi delegit KALINSKIUS, ABYDENI quibusdam nixus verbis, ab EUSEBIO [4] traditis, quae Axerdim, i. e. Assarrhadonem, „Aegyptum partesque Syriae inferioris in suam potestatem redegisse" docent; quibus quanta habenda fides sit, dudum demonstravit NIEBUHRIUS [5]. — Quibus omnibus argumentis adde sis, quibus Assyriorum cogitationem prohiberi diximus.

Satius agere videbantur, qui non ad Assyrios, sed ad II) Aethiopes referebant Thebarum expugnationem, quos exitum 8^{vi} sec. versus Aegyptiacarum rerum potitos esse constat [6]. (VITRINGA typ. doctr. proph., GROTIUS, HUPFELD [7]). At, ut omittamus, omnem regnandi rationem, qua reges illi Cuschitae utebantur [8], eiusmodi esse, ut expugnationem et eversionem Thebarum, praecipuae Ammonis colendi sedis, vix pati videatur: Nahumi verba contrariam comprobant sententiam, cum Aethiopes inter auxilia et socios Aegyptiorum recenseantur v. 9. [9]

Reliquas opiniones paucis absolvamus. III) Ad sec. 7^{mi} tempestatem, qua Aegyptus internis concutebatur tumultis, confugit EWALDUS, neglecto 10mo Nahumi versu, cuius verba גם היא

---

1) Cfr. RAWLINSONII Outlines of Ass. Hist. p. XXXV; Athenaeum Londinense 1851, No. 1243, p. 903, b.

2) Cfr. etiam HEROD. II, 141.

3) Imagines in pylonibus expressae monumentorum, quae nunc nomine Medinet-Abu comprehenduntur, decem exhibent gentes Asiaticas, quas Tirrhaka rex tenet vinctas; cfr. LEPSII Denkmäler aus Aeg. u. Nub. sect. V, tab. I; ROSSELLINI monument. storr. vol. II, tab. 150; tria quidem nomina apposita sunt, quorum significatio nondum satis enucleata est; vultuum tamen natura et barba Asiaticum indicat genus; ac modo temporis habeamus rationem, vix alios possumus quam Assyrios intelligere.

4) EUSEBII chron. arm. ed. AUCHER. (4) p. 54.

5) Kleine Schriften I, 206 ss.

6) Cfr. HEROD. II, 137.

7) De rebus Assyriorum p. 51 not.

8) Cfr. LEPSII Briefe aus Aegypten p. 275.

9) Cfr. ZORN. l. l. p. 376; SUESSKIND. l. l. p. 152; Ew.

לגולה ה' extraneos hostes olent. — IV) GESENIUS[1] deinde Scytharum irruptionem ab Herodoto narratam illam intellexit, cuius tam incerta atque lubrica et fides omnino et tempus est[2], vix ut conferri in certamen valeat. — V) Nec defuerunt qui Carthaginienses etiam induci posse probarent (HEEREN., SUESSKIND l. l.) uno sublevati AMMIANO MARCELLINO, qui urbem Hecatompylos a Poenis olim expugnatam tradit; quibus nisi respondere in animo est cum GESENIO thes. a. v. נא, aliam fortasse significari eiusdem nominis urbem, satis erit monuisse, dubium illud de tam remota antiquitate testimonium idoneo carere momento. — VI) Denique inter eos, qui praeteritam aliquam cladem a vate respici existimant, maxime omnium aberravit BOCHARTUS, cum captam a Nebucadnezare intelligeret urbem, atque adeo Nahumum, cum postea scripsisset, praedictae a Ieremia et Ezechiele cladis et iamiam confectae extitisse testem!

Iam vero ad singula argumenta illa, e quibus singulas interpretum opiniones improbandas esse diximus, accedit, quod ante Nahumi aetatem Thebas non esse expugnatas atque dirutas neque incolas in captivitatem abductos, ex ipsis Aegyptiorum monumentis constat, quorum indiciis magnificentissimae urbis historia satis luculenter conficitur[3]; quorum auctoritate docemur, nullam alicuius momenti cladem cogitari posse ante Cambysem[4].

Quae cum ita sint, paucos illos sequimur interpretes, qui futuram Thebarum fortunam praenuntiatam viderunt, HIERON., THEODORETUM, CYRILLUM, COCCEIUM; verborum igitur formae pro propheticis quae aiunt praeteritis habendae erunt. Neque vero eo illis nomine assentimur, quod certam illi quandam indigitari expugnationem existimarunt; imo Aegypti caput splendidissimum omnino iri eversum docetur, idque tam a Cambyse, quam ab aliis deinceps omnibus, qui Thebas unquam destruxerunt, confectum est.

Videmus igitur duabus ex caussis Thebarum afferri exemplum: primum, ne natura Nini et opibus Assyrii quidquam contra destinatum sibi fatum valere existimarent; tum vero, ne quis illis

1) Cfr. Hallische Literaturzeitung 1841, No. 1.
2) F. A. STRAUSS Zeph. proll. p. XIX ss. DELITZSCH. Hab. p. XVIII.
3) Cfr. LEPSII Briefe aus Aeg. p. 272 ss.
4) Cfr. ibidem p. 276.

ab Aegyptiis imminere perniciem opinaretur. In eorum enim exspectatione, penes quos summa tunc post Assyrios potentia erat, defixi omnium haerere oculi debebant, cum de exstinguendo Assyriorum imperio ageretur. Illis igitur et ipsis suam propediem fatalem adesse horam significatur; ita ut hoc loco per negationem quodammodo de instrumentis iudicii in Assyrios exsequendi instituamur. Hic autem scopus non primo, sed secundo atque minore loco habendus est.

v. 8.

Numquid melior es quam No-Ammon, quae habitat in fluminibus, aquae circa eam? cuius munimentum mare, e mari murus eius? הֲתֵיטְבִי unicum fut. יֵיטַב pro יִיטַב exemplum, uti reperitur פְּלֵיטִים simul et פְּלִיטִים Ierem. XLIV, 28; Ez. VI, 8. ייטב לי significat: bene mihi est Gen. XII, 13. XL, 14 all.; coll. 1 Sam. XVI, 16. 23 טוֹב לי; sensus ergo quaestionis est: num melior tua conditio est, i. e. num potentior es et amplioribus etiam defensa munimentis quam No Ammon? Natura enim locorum est et munimentorum praestantia, quae in comparationem vocatur, nec mera magnitudo (Hieron.). Aliter Ewaldus interpretatus est: „willst du ein besseres Schicksal haben ct.;“ Hoelem.: „cum moribus non melior es, fortuna quoque meliore non digna es,“ et ingeniose Umbr.: „Oder bist du besser? — fragt Gott den Sünder, der mit ihm rechten will, und schneidet mit dieser Frage alle Wurzel weiterer Verhandlung und Entschuldigung ab;“ a quibus sequentium versuum ratio negligitur, quae de morum depravatione nihil habent, verum de potentia et firmitudine agunt. — מן comparationem institutam indicat. — כא אמון Ierem. XLVI, 25; Ez. XXX, 14 ss. nude כא dictum, Thebas significat Aegyptiacas, a LXX. a. l. Ierem. *Διόσπολις*, hic vero *μέρις Ἀμμῶν* redditas, portio Ammonis, cui celeberrimum fanum in ipsa urbe erat; inde Ier. XLVI ipse Ammon Noënsis dicitur, eiusque cultum respicit Ezech., cum XXX, 15 enuntiaret: et exstinguo tumultum e No, את־המון מנא. Significatio v. כא nondum enucleata est; diversas vv. dd. opiniones exhibuit Gesen. thes. a. v. Nomen a Graecis urbi impositum *Θηβαί* eo referendum est, quod Ap, c. artic. fem. Tap, nomen erat celeberrimi cuiusdam Ammonis delubri media in urbe aedificati; quod nomen, plurali prae-

sertim numero expressum Napu, ad universam urbem haud raro transfertur [1]. Erat autem caput superioris Aegypti, sicuti inferioris Memphis, et quo maior a primis inde temporibus superioris regni erat auctoritas et potentia, eo Thebarum quoque magnitudo et divitiae et magnificentia reliquis Aegypti praecellebant urbibus; quid? quod ad sacrum hunc Ammonis locum omnis Aegyptiorum quasi cogitur historia [2]. Egregiam eius, quo olim gaudebat, splendorem ingens illa templorum et palatiorum destructorum moles per latos campos effusa apud vicos Medinet Abu, Lugsor, Karnak testatur hodieque, neque ullam reperiri tam grandem tamque excelsam ruinarum maiestatem, omnia deinceps itineraria affirmant [3]. — At vero No Ammon esse Thebas, nostra demum memoria consentiunt interpretes, BOCHARTUM [4] et ZORNIUM secuti; fuerunt tamen, qui praeeunte IONATH. et HIERONYMO, ab institutore suo ita edocto, A l e x a n d r i a m intelligerent, situ eius maxime commoti, CALV., GROT., IUN., PISC., DRUS., MARCK. et vel per prolepsin una cum existentia interitum praedictum, vel oppidum quoddam, quod antea eius locum tenuisset appellatum docerent, licet STRABONE et PAUSANIA auctore κώμη tantum ibi reperiretur, priusquam ab Alexandro urbs conderetur. Alii autem D i o s p o l i n m i n o r e m acceperunt, super Mendetem in Aegypto inferiore sitam, praesertim cum STRABO lacubus eam circumdatam fuisse traderet (l. XVII, c. I: *Διὸς πόλις καὶ αἱ περὶ αὐτὴν λίμναι*), KALINSK., KREEN.; at quomodo obscurum illud oppidum comparari Nino atque adeo praestantius esse dici possit? Quo accedit, quod probe monuit ZORNIUS: „urbs Ninevitis ponenda ob oculos erat, quae non magis natura et mirificis molibus munita, quam propter imperii amplitudinem et diuturnitatem florentissima esset, ut Ninevitae illud e fatis tantae urbis cognoscerent, quod ipso usu etiam mortales docentur.“ Situm vero vv. seqq. descriptum perbene quadrare in Thebas, confestim patebit.

1) Cfr. LEPSIUS Briefe p. 272 ss.

2) Id quod ibidem luculenter perstrictum reperitur.

3) Cfr. ZORNII librum supra l., et libros a GESENIO thes. a. v. et WINERO R.W. a. citatos, quibus adde LEPSIUM l. l. p. 265—303 et F. A. STRAUSS., Sin. u. Golg. (V) p. 66—77.

4) Phaleg. p. 6. 7.

הישבה ביארים, *quae habitat in fluminibus,* et quidem secure habitat cfr. Zeph. II, 15; Sach. I, 11. יארים ampliore quidem potestate fluminum reddidimus, vix tamen praeter Ex. VIII, 1 usquam fluvium notat, nam Ies. XXX, 21 rectius Euphrates et Nilus intelliguntur; translate dicitur Iob. XXVIII, 10; praeterea Nilum semper indicat, et plur. num. exaratum Nilum cum bracchiis et canalibus fossisque ex eo deductis Ies. VII, 18. XIX, 6. XXXVII, 35; 1 Reg. XIX, 24; Ex. VII, 19 all.; nomen autem Aegyptiaco quoque sermone canales significare ostendit Gesen. thes. a. v. Nobis canales urbem cingentes cogitandi erunt; nam licet in utraque Nili ripa urbs fuerit aedificata, tale quid tamen si indigitare voluisset vates, aliis vocibus fuisset usus; id quod confirmatur vv. seqq.: מים ס"ל.

Altero membro subiungitur, quale iis ex hac natura redundaverit commodum: *cuius munimentum mare est, e mari murus eius.* Videamus primum quid sit חיל; quod multiplici ratione explicatum est; ab aliis fossa, Calv., Maur., ab aliis lacu et paludibus, Kreen. all.; Hoelem. reddidit vallo et fossa; Hitzigio est st. constr. a. v. חֵיל, castellum notante, sicuti Schmidius, de Dieu exhibuerunt: „quae fortitudo est maris;“ denique Ew., Umbr. recte, ut nobis videtur, statuunt nostrum Schutzwehr; quae notio in promptu est 1 Reg. XXI, 23; 2 Sam. XX, 15; Ps. XLVIII, 14. CXXII, 7; cfr. חומה וָחֵל Ies. XXVI, 1; חיל וח' Thren. II, 2; Graeci προτείχισμα, περίτειχος, περίβολος, Vulg. antemurale; atque adeo apposite Gesen. thes. „murus minor et exterior fossam ambiens, una cum pomoerio,“ id quod Kimchii verbis comprobavit; Hoelem. cum ad 2 Sam. XX, 15; Ies. XXVI, 1 provocaret, ab idonea ll. interpretatione aberravit, cfr. I. H. Mich. a. hh. ll.; Gesen. thes.; Hitzigius autem nullo probare exemplo poterit notionem castelli, nam Obad. v. 20 aptior est copiarum potestas cfr. Casp. a. h. l., Hab. III, 19 fortitudinis: adde, quod secundum illam interpretationem haec verba parum consonant cum reliquo versu. — ים plerumque quidem mare est, transfertur autem haud raro ad magna flumina, v. c. ad Nilum Ies. XVIII, 2. XIX, 5; Iob. XLI, 23; Ez. XXXII, 2, ad Euphratem Ies. XXVII, 1; Ier. LI, 56; dicitur etiam de mari aheneo 2 Reg. XV, 13 all.; illos vero locos, quibus Gesen. thes. notionem plagae occidentalis probari contendit, ad simplicem omnes maris, mediterranei nimirum significationem reiiciendos

existimo. מִיָּם ח', *e mari murus eius;* חומה murus principalis est, cfr. GESEN. thes., WINERI RW. I, p. 317. Sententiam probe descripserunt UMBR., MAUR., HITZ.: cuius murus mari conficitur; BOCHARTO autem et MICH., qui rubrum et mediterraneum mare, Aegyptum cingentia intellexerunt, sequente EWALDO: „deren Mauer Schutzwehr war von Meer zu Meer," obstat praeter cetera, quod non de terrae, sed urbis agitur propugnaculis, et quod longius retardatum ad finem usque esset חומתה.

v. 9.

Aethiopia praesidium est et Aegyptus, nec finis est; Put et Libya sunt in auxilio tuo. In enumerandis gentibus, quibus magnitudo et potentia regum Thebanorum conficitur, eam vates instituit rationem, ut a meridie profectus Nili decursum secutus ad septentrionem progrediatur, dein ad occidentem deflectat. כוש, Gen. X, 6. Chami filium natu maximum, deinde populos ab eo genitos designat, alias etiam כושן appellatos, Hab. III, 7 [1], quos Graeci Aethiopum nomine complectebantur. Sedes eorum latius quidem patebant; neque enim Africae partem tenebant solam, ab Aegypto meridiem versus vergentem, uti docuit SCHULTHESS [2], assentiente GESENIO thes. a. v., nec Arabiam tantum, uti existimavit BOCHARTUS [3], sed regiones utrasque secundum argumenta a I. D. MICHAELE [4] exposita; quo adde, quod e disputationibus ROSENMUELLERI [5] et KNOBELII [6] apparet, per omnes fere Asiae plagas meridionales Cuschitas incoluisse dispersos. Ad nostrum autem locum propriae tantummodo sedes eorum pertinent, Africanae illae, ubi hodieque gens quaedam, cui nomen est Bischarîba, ad originem eorum reperitur referenda [7]. Quae de summa Meroënsium humanitate atque artium literarumque gloria, Aegyptiis etiam vetustiore, ferebantur vulgo, ea nunc a. vv. dd. plane ne-

1) Cfr. DELITZSCHIUM a. h. l.
2) Das Paradies p. 10 ss.
3) Phaleg. IV, 2.
4) Spicileg. p. 143 ss.
5) ROSENM. bibl. Alterthumsk. III, p. 155 ss.
6) KNOBELII Völkertafel p. 246—257. Cfr. WINERI Realw. a. v.
7) Cfr. LEPSII Briefe aus Aeg. p. 266.

gantur[1]. Necessitudine autem cum Aegyptiis intima, per multa deinceps secula continebantur; et Aethiopicos aliquando reges Aegyptiarum rerum potitos fuisse, Sabaconem et Tirrhakam, notum est; quod cum versus 8^{vi} seculi finem evenisset, apud Iesaiam potissimum uterque populus uno imperii vinculo coniuncti appellantur, cfr. XX, 4. XLIII, 3. XLV, 14. — עצמה robur, praesidium, cfr. Ies. XL, 27. XLVII, 9, s. עצם Deut. VIII, 17; Iob. XXX, 21; ceterum ה non est suffixum; quod si esse, ornatum esse s. Mappik deberet. — מצרים[2], Aegyptus, alter Chami filius Gen. X, 6. Nomen tam notione sua quam forma Aegypti indolem egregie exprimit. Significat enim duplicem angustiam, i. e. duas plagas illas, deserti Africani montibus et rubro mari inclusas, Nilo segregatas[3]; dualis autem forma utrumque indigitat regnum, superius atque inferius, tam soli natura, quam religionis artiumque ratione et sermonis dialecto satis diversa illa; quo referendum est, quod ii etiam reges, quibus utraque regio subiecta erat, non „reges Chemi“ se ipsi appellabant, sed „reges terrae superioris et inferioris,“ vel „reges utriusque terrae[4].“ — Additur autem, ut ingens Aegypti propriae et magnitudo et potentia notetur, ואין קצה, de quo cfr. II, 10. III, 3.

Iam vero quoniam ad septentrionem pervenit vates, sinistrorsum deflectit, et quoniam eas commemoravit gentes, quae ad ipsum atque genuinum pertinent regnum (עצמה), iam adiicit eas, quae inter socios et auxiliarios numerandae erant, היו בעזרתך; cfr. Ps. XXXV, 2 קומי בעזרתי, et Ezech. XXVII, 10: פרס ולוד ופוט היו בחילך; quos suff. 2^{dae} pers. offendit, ii vividum primum atque alacre Nahumi neglexerunt ingenium, cui proprium est, coram interdum appellare, de quibus facit verba, cfr. v. 15, tum vero in eo erraverunt, quod ה in v. עצמה pro suffixo habuerunt. Afferuntur autem duo nomina פוט, tertius Chami filius, et לובים, Libya, unam quidem gentem complectentia (quod vel inde patet, quod LXX Ier. XLVI, 9; Ez. XXVII, 10. XXX, 5.

---

1) Cfr. ibidem p. 277.

2) Apud Babylonios nomen audit Miṣir, apud Assyrios Muṣur s. Muṣuri, cfr. RAWLINSON Analysis of the Babylonian text at Behistun p. XVIII.

3) Cfr. DELITZSCHII Genesis p. 218.

4) Cfr. LEPSIUS über den ersten ägypt. Götterkreis p. 16 ss.

XXXVIII, 5 פוט reddiderunt *Λίβυας*); tamen Libyes non mere adduntur *ἐπεξηγητικῶς*, uti censuit BOCHARTUS[1]; sed Put universam notat Libyum gentem, לובים Libyes, quos aiunt, Aegyptios, qui a Canopico Nili ostio ad occasum versus incolebant. Quae KNOBELII[2] sententia ideo probanda magis nobis videtur quam GESENII, qui inversam statuit rationem (thes. a. v.), quod ex ethnographica tabula Gen. X docemur Put fuisse Chami filium, Lehabim eius nepotem, filium Mizraim; quo adde, quod IOSEPHUS[3] tradit Putaeorum regionem esse Mauretaniam, quae latius patet quam Libya. — Ceterum easdem fere gentes alibi quoque coniunctas reperimus, cfr. Ier. XLVI, 9; Ez. XXX, 5 Kusch, Put, Ludim; Ez. XXVII, 10 Lud et Put; XXXVIII, 5 Kusch et Put.

v. 10.

At nihil est humana potentia, nihil etiam praesidia humana, ubi hostium agmen ducit Dominus exercituum! cfr. v. 5. — *Etiam illa in deportationem, abiit in captivitatem, etiam infantes eius allisi sunt in capitibus omnium platearum: et de nobilibus eius iecerunt sortem, et omnes magnates eius vincti sunt compedibus.* — גם־היא cum egregia emphasi bis positum, bis repetitur v. seq. גֹּלָה part. fem. deportata, scil. multitudo (cfr. גּוֹלָה deportatus 2 Sam. XV, 19; Amos VI, 7), inde exsilium ipsum Esr. VI, 21. Idem fere notat שֶׁבִי, in quo captivitatis praevalet cogitatio, cfr. שְׁבוּת; saepius legitur הלך בשבי Deut. XVIII, 41; Ies. XLVI, 2; Ier. XXII, 22. XXX, 16; ה' בגולה Ier. XLIX, 3, sed nusquam ה' לגולה, in quo rara insuper exsilii notio statuenda esset; quare, cum intt. plerique tam לגולה quam בשבי suspenderent a. v. הלכה, non curantes incommodum duarum praepositionum certamen, melius verterunt IUN., TREMELL., PISCAT., KREEN.: „etiam haec deportationi (suppl. היתה), abiit in captivitatem.“ Tolerari autem alia quoque potest interpretatio, a I. H. MICH. statuta: ה"ה בש abiit inter captivos; praeferenda tamen altera propter simplicitatem est. Consuetudinem autem victricum Asiaticarum

---

1) Phaleg. p. 336.
2) Cfr. Völkertafel p. 297. DELITZSCHII Genes. p. 219.
3) Archaeol. I, 6, §. 2.

gentium fuisse, ut devictos in alias deducerent terras tam e ll. ss. quam e veterum scriptis, constat[1]; Assyrios autem praeter ceteros ita egisse, historia[2] simul et ipsa eorum monumenta[3] docent. — Quibus verbis cum finis statim propositus sit, iam quae antecedant captivitatem horrenda et atrocia, tribus perstringuntur imaginibus. עלל infans, distinctum ab infante lactante יונק 1 Sam. XXII, 19. XV, 3. Immanis illa crudelitas saepius adhibita traditur, cfr. 2 Reg. VIII, 12; Hos. X, 14. XIV, 1. Verba ad Iesaiae similitudinem conformata sunt, qui XIII, 16 de Babele cecinit: ועלליהם ירטשו לעיניהם; cfr. Ps. CXXXVII, 9. ראוש caput platearum, i. e. compita, ubi alliduntur miseri propter angulorum aciem; nec necesse est ut praegnans arguamus dicendi genus: allisi exanimesque iacebunt in compitis ct. (BURK.), licet non improbandum penitus videatur, cfr. Ies. LI, 20; Thren. II, 19. 21.

De nobilibus eius, s. honoratis cfr. Ies. XXIII, 8. 9; Ps. CXLIX, 8, *iaciunt sortem;* de v. ידו cfr. CASPARIUM ad Obadi. v. 11. Eorum more, qui distribuunt exuvias, mancipia inter se dividunt. (BOCH.) Cuius sortitionis genus, satis usitatum illud apud veteres, cfr. Ioel. III, 3; Obadi v. 11, exposuit M. MAURITIUS de sortitione vett., Hebr. imprimis, Basil. 1692. — *Et magnates eius omnes vinciuntur compedibus.* גדוליה cfr. Ion. III, 7. זקים compedes cfr. Ps. CXLIX, 8; Ies. XLV, 14, אזקים Ierem. XL, 1. 4, HOELEM. arctius, ut videtur, notionem restringit ad vincula manuum; omnino sunt vincula aënea, cf. GOUSS. lex. p. 424.

1) Cfr. Ies. XXXVI, 17 all; cfr. HENGSTB. de rebb. Tyriorum p. 51 ss.

2) Cfr. 2 Reg. XVII, 23. 24.

3) Monumenta exhibent creberrima captivorum agmina, quorum habitu V. Ti. verba de miseria deportatorum enuntiata illustrantur; ex. gr. viros compedibus vinctos, baculis militum actos atque incitatos videmus (BONOMI p. 226. 547; LAYARD. Nin. fig. 60) mulieres solutis crinibus capita manibus obtegentes cfr. 2 Sam. XIII, 19; Ier. II, 57 (BON. p. 235; cfr. GOSSE p. 359 ss.). Urbium quoque evacuatarum atque desertarum inveniuntur imagines, ad quarum portas exitiosae etiam stant testudines, testes expugnationis, et unde incolae cum mulieribus et infantibus pecoribusque abducuntur (BON. p. 277). Rex autem ille, qui statuam Nimrudensem inscripsit, cuius nomen RAWLINSONIUS antea Temenbar, nunc Divanubara censet legendum, haud raro eiusmodi iactat deportationes: cfr. RAWLINS. comment. on the Cuneif. Inscr. p. 43: „Yavnu the son of Khaban, with his wives and his gods, and his sons and his daugthers, his servants and all his property, I carried away captive into my country of Assyria." Cfr. p. 33. 35 all.

b. v. 11–13.

v. 11.

Tantum abest, ut melior sit No Ammone Ninus, ut graviorem etiam expertura casum sit. *Etiam tu inebriabere, esto abscondita: etiam tu quaeres praesidium ab hoste!* Praeclare secundum v. 10[mi] similitudinem utrumque membrum incipit vv. גם־את, tu quoque, sicuti Thebae illae, tu etiam, a qua tale quid longe abesse et ipsa et populi fere omnes opinantur. Verba HOELEM. recte ait non mere futura esse, sed voluntativa, uti nos reddidimus sec. abbreviatam imperat. f. תהי, Ew. §. 224. Non proprie autem, sed translate dicitur inebriari Ninus. „Locutio haec metaphorica, alibi in bonum sensum abundantiae bonorum et laetitiae hinc perceptae sumpta" (cfr. I, 10), „hic clarum est, quod notet malum, non culpae, ... sed poenae, quatenus dicit haustum ex poculo irae divinae liberalem, unde foret summa infirmitas, et vertiginosa consilii inopia, quin et stupor lethalis, sicut in ebriis haec adesse solent, coll. Ies. LI, 17. 20. 21; Ier. XXV, 15 all." MARCKIUS. נעלם simpliciter significat id, quod latet, occultum est, 1 Reg. X, 3.; Lev. V, 2–4; Eccl. XII, 14; sensus igitur enuntiati hic est: adeo eris deleta ut reliquiae tuae frustra quaerantur, cfr. I, 8. II, 12; Obadi. v. 16 „et poculantur et deglutiunt, atque adeo sunt, quasi nunquam fuissent," והיו כלא היו. Haud secus interpretatur CALVINUS: „evanesces ac si numquam fuisses; nam abscondi saepe Hebraeis est in nihilum redigi." CALINSKY, ABARB. Quae cum simplicitate commendetur sententia, maxima interpretum pars huc illuc vagatur. Latendi enim caussam 1) in metu hostium posuerunt DRUS., TARN., HOELEM., id quod pugnat cum v. תשכרי; longe satius 2) BURK., UMBR. sec. Cant. I, 7 capitis involutionem, summi pudoris signum intellexerunt cfr. HENGSTB. a. h. l.; ad quem fere sensum pervenerunt LXX ὑπερεωραμένη, HIERON. eris despecta, MAUR.; tamen et verbi notio et nexus sententiarum et Obadiae insuper similitudo nostram suadere interpretationem videntur. 3) Singulariter Ew., HITZ. caliginem oculis offusam proferunt; HITZIGIO enim עטף Thren. II, 19 est = עלף, idque = עלם! [1]

---

1) GREVE et KREENEN. pro more suo ad Arabes confugiunt, et cum

Tu quoque quaeres praesidium ab hoste. Ita reddimus מאויב cum MENOCH., CALINSK., neque vero „contra hostem," quia בקש מן significat fere: quaerere aliquid ab aliquo, inferiore praesertim ll. ss. aetate, cfr. Es. VIII, 21. IV, 8. VII, 7; Neh. V, 12. Ps. CIV, 21; Ez. VII, 26, cum antea usitatius sit מיד Gen. XXXI, 3. 9. XLIII, 9; Ies. I, 12 all.; eoque in genere non GROTIUM et KREEN. sequimur: „salutem ab hoste posces, deditione nimirum," sed HIERON., MICH., „contra Babylonios (i. e. contra hostes) ab inimicis auxilium rogabis;" longe enim acerbius est, auxilium quaerere ab eo, qui inimicus probatur et traditor, quam nude: praesidium contra hostem quaerere DRUS., CALV., MAUR. Quod dicendi genus illustrari potest eo, quod Saracus Nabopolassarem Medis obviam emisit, is autem cum hostibus iunxit copias atque adeo deceptum oppressit regem. (CALINSKY.) De v. מעוז cfr. I, 7. LXX legisse videntur מעון: *ζητήσεις στάσιν ἐξ ἐχθρῶν.*

v. 12.

Omnia munimenta tua — ficus cum fructibus praecocibus; si quatiuntur, cadunt super os comedentis. מבצר locum cancellis circumscriptum significat (cfr. בצרה ovile), atque adeo munimentum Ies. XVII, 3. XXV, 12; inde urbs munita עיר מבצר 1 Sam. VI, 18; 2 Reg. III, 19; Ierem. V, 17 all. Iam alii sola Nini ipsius munimenta accipiunt, alii castella sicuti Hab. I, 10; nobis haud secus ac MARCKIO satius videtur, utrumque simul accipere, cum castella in finibus regni constituta (cfr. v. 13) probe possint munimenta Nini appellari. Haec igitur castella atque munimenta, quae firmissima videntur, „in quibus fiduciam suam ponunt" Ier. V, 17, nihil meliora sunt quam ficus arbores, fructibus praecocibus, maturis pollentes; תאנים cfr. Gen. III, 7; Mich. IV, 4; Zach. III, 10 all.; בכורים fructus praecoces Hos. IX, 10; Mich. VII, 1; Ies. XXVIII, 4. BURKIUS praecocitatem confudit cum primogenitura, cum diceret: „videtur proph. supponere, quod arbor primos fructus ferens eos facilius amittat, quam alia, iam per annos robustior facta." נוע non tam fortiter quassare quam leviter motu tremulo agitare, cfr. Ies. VII, 2, quo augetur facillimae occupatio-

---

GROTIO laudant علم, insignire, notare; נעלם ergo reddunt: „sustinebis infamiam," secuti SCHULTENSIUM, de def. L. II. §. 163.

nis similitudo; Hieron.: levi quidem tactu agitantur. Rosenmuelleri et Hitzigii sententiam, quibus תאנים etiam sunt fructus neque vero arbores, una cum argumentis eius satis dudum refutavit Maur., cui addendum videtur, eiusmodi usum v. עם, qualem nos accepimus, haud temere statui, cfr. Ew. §. 217, h. — ונפלו copula pleonastice adiecta, uti in enuntiatis conditionalibus haud raro fit. על־פי dictum pro בפי, veluti pluit על־ארץ Iob. XXXVIII, 26. Iam vero in hypotheticis enuntiatis imperfectum solet conditiones notare, quae haud existimantur evenire; unde, praeter haec verba, alia etiam excipienda sunt exempla, quibus simplices perfecti vices agit, cfr. Ew. §§. 342, b. 332, c.

v. 13.

Unde tamen fit, quaerimus, quod validissimae gentis castella adeo nullo capiuntur negotio? ubi celeberrima illa et tremenda diu fortitudo? — *En! populus tuus muliercula in medio tuo, hostibus tuis aperiendo aperiuntur portae terrae tuae, devorat ignis vectes tuos.* עמך maxima interpretum pars ad milites refert, nec temere, cum legatur eo sensu עם, licet apposito fere הצבא, המלחמה Num. XXXI, 32; Ios. VIII, 13. X, 7. XI, 7; Iud. V, 8 all.; neque tamen instandum videtur definitae huic notioni. Fortissimos ergo Assyrios, quorum bellicosus et strenuus animus vultu et corporis habitu expressus hodieque conspicitur in monumentis — ubi illucescit ultionis divinae dies, deficiunt robur et nervi, ut mulierculas perterrefactas; id quod partim quidem ad vitam mollem et voluptatibus deditam referendum est (Kreen.) quam extrema tempestate agebant, maxime tamen ad incredibilem plagae divinae vim et efficaciam. Sic Ies. XIX, 16 primum legimus: „illa die erit Aegyptus mulierum instar, et contremiscit et trepidat prae agitatione manus Domini exercituum, quam agitavit super eam;“ dein Ieremias eadem, quae ille primo regno seculari, alteri Nahumus erat minatus, ad tertium transtulit Chaldaeorum, c. L, 37. LI, 30. — בקרבך LXX ἐν σοι, Lutherus in dir; nam קרב, uti probe statuit Ernestius, est „tractus totus inter extrema puncta vel intra fines“ (vid. Delitzsch. ad Hab. p. 131. not.); nec unquam medium ipsum alicuius rei locum designat, imo in praepositionis בתוך vel בְּ abiit potestatem (cfr. exempla apud Gesen. thes. s. v.). Nimium igitur viderunt, qui ipsam

intellexerunt Ninum tanquam medium regni locum CALV., CALINSK., HOELEM.; nam sequens demum versus ad ipsum caput adducit.

Elapso defensorum animo fieri non potest, quin propugnacula facile occupentur. לאיביך male ad antecedentia retorserunt I. D. MICH., RUECKERT, HITZ. (I) HOELEM., ita ut audiret: e regione hostium constituti, mulieres sunt; quo futilis conficeretur tautologia. — פתוח נפתחו. Infinitivi absoluti cum verbo finito coniuncti vis et efficacia praeclaro hoc cernitur exemplo; rapiditas et facilitas, qua portae aperiuntur, vix aptius exprimi potuerit. שערי ארצך ea sunt finium loca, per quae aditus patet in terram, veluti fauces et angustiae montium, castellis fere munitae, cuiusmodi BOCHARTUS Phal. p. 220. Can. p. 377 laudavit Chaboram montem, Mediae oppositum, et TUCHIUS l. l. p. 35 addidit montes a Plinio iam invios appellatos, qui ad septentrionem vergunt; adde quoque fluminum vada et transitus all. Portarum autem, quoniam maxime solent munitae esse, ea est gravitas, ut qui eas ceperit, omnen simul urbem occupaverit, cfr. Ies. XXII, 7; Iud. V, 8; Mich. I, 9; Ier. XIV, 2; Ies. XXIV, 12. Claustra terrae alio etiam sensu usitata cfr. Ion. II, 7. — Continuatur similitudo praepostera imagine: *consumit ignis vectes tuos.* בריח a. v. ברח, cfr. Exod. XXXVI, 33 „et fecit vectem medianum qui transiret (לברח) per medios asseres ab altero extremo ad alterum.“ Iam vero quaerendum est, utrum sua etiam vectibus metaphorica quaedam videatur potestas tribuenda, an simplex in exornanda similitudine concedendus locus esse? Quibus primum illud placuit, ii vectes meminerunt id esse, quo clauduntur portae, i. e. castella et propugnacula, quibus aditus terrae defenduntur, cfr. בדים Hos. XI, 6; quae interpretatio etiamsi possit commendari, praeferimus tamen alteram. Assyriorum autem consuetudo erat, ut locorum munitorum, quae oppugnarent, portis faces subiicerent, quibus cremarentur, uti ex amplissimis monumentorum exemplis intelligimus [1]. Vectibus ergo non alia tribuenda significatio erit, quam ut aut amplificent portarum similitudinem, aut metonymice

1) Cfr. BONOMI p. 185. 191. 178. 192. 196 all. Id quod adeo abiisse in regulam videtur, ut BON. p. 178 de imagine quadam (BOTTA pl. 93) asseveret: „It is remarket, that the Assyrians have not set fire to the gates of this city, as appeared to be their usual practice in attacking a fortified place.“

pro ipsis portis videntur dicti esse. — Resonant haec verba, paullulum quidem immutata, apud Ieremiam, LI, 30: „heroes Babelis pugnare cessant, fiunt mulieres (היו לנשים); incenduntur habitationes eius, confringuntur vectes eius.“

C. v. 14-19.

Extrema vaticinii particula certam destinatamque potentissimi regni ruinam proponit cumulatius. Primum enim a) nec munimenta Nini, nec numerum copiarum nec opes quicquam iis profutura, locustarum imagine quattuor ex partibus explicata docetur, v. 14—17; comparantur enim illis eo nomine, quod primum multitudo earum innumerabilis est, deinde quod et ineluctabili cum violentia et summa simul facilitate depopulantur circum omnia, quo consederunt; denique quod, ubi suum reliquerunt locum, adeo evanescunt, ut nullum earum vestigium reperiatur. Singularis haecce atque ingeniosa maxime similitudo suo iam ordine videtur enarranda. Hostibus nemine resistente ad ipsam urbem progressis (v. 13), amplificatis etiam firmissimi loci munitionibus nequit averti v. 14, quin gladio et igne capiatur et devastetur v. 15 a, sicuti inevitabilis est locustarum depopulatio; ac licet numerus Assyriorum ingentia illarum agmina videatur aequare v. 15 b, et mercatores, qui ingentes undique opes congerunt in medium, stellarum etiam excedant multitudinem v. 16 a, — recolant tamen securi illi, locustas, quoquo descenderunt, plane omnia depasci et, quotidiano hoc negotio peracto, leviter avolare v. 16 b. Licet ergo duces etiam et proceres eorum innumeri immensam prodant regni potentiam nec tam facile existimentur evertendi — belluarum agmina ista ubi vel defixa in aliquo haerere loco videantur, subito tamen evanescere solent v. 17.

b) v. 18. 19. Sic eveniet ut summi et infimi regni cives ingenti omnes trucidati strage passim iaceant v. 18, et letiferae plagae, quae regem simul et gentem percussit, tantum abest ut mederi quisquam valeat velitve, ut universum potius humanum genus malitiosi oppressoris et vexatoris malefici internecione gaudeat atque laetetur, v. 19.

a. v. 14-17.

v. 14.

Aquam obsidionis hauri tibi, refice munimenta tua! Abi in lutum, calca in argilla, et repara fornacem! Eiusmodi compellationes quid sibi velint, RUPERTI TUITIENSIS verbis exposuimus pag. 52. — מי מצור aquae obsidionis, i. e. quae durante obsidione sufficiant usui; de v. מצור cfr. ad II, 2; 2 Reg. XXV, 2; Sach. XII, 2. Fuerunt qui aquas non ad usum quotidianum necessarias, sed ad defensionem augendam e Tigride derivandas intelligerent (CYRILL., THEOD., COCCEIUS, MARCK., KREEN.); quibus unum illud שאבי satis est quod improbretur, cum Gen. XXIV, 6, 1 Sam. VII, 13 all. non legatur nisi de aqua vasibus hausta. LUTHERUS *κατὰ σύνεσιν*: „Schöpfe dir Wasser, denn du wirst belagert werden.“ Ceterum his verbis diuturnam quandam praedici obsidionem vix poterit negari. — מבצר, cfr. v 12, hoc loco munimenta tantum et propugnacula significat. חזק Pi. corroborare, LXX *κατακράτησον;* de aedificiis dictum, reparare, cfr. 2 Reg. XII, 8 מחזקים את־ בדק הבית. Ez. XXVII, 9. 27; Neh. V, 16.

Luculenta imagine adiicitur, quibus rebus munimenta reficienda sint: *abi,* intra, *in lutum, calca in argilla, refice fornacem.* טיט aeque ac חמר coenum notat, cfr. Ps. XL, 3; Ies. X, 6 all.; tum vero טיט fere lutum audit, חמר argilla figuli, rubri coloris caussa: טיט Ps. XVIII, 43; Mich. VII, 10; Sach. IX, 3. X, 5; Ies. LVII, 20. XXXVIII, 6, deinde coenum Nili Iob. XLI, 21, unde cognatam quoque argillam designat Iob. XLI, 25; חמר autem argilla figuli est Ies. XXIX, 16 all., quae ad lateres fabricandos usurpatur Gen. XI, 3; Exod. I, 14; Iob. XIII, 12. רמס calcare pedibus Ies. XLI, 25, apposito ברגליכם Ez. XXXIV, 18; inverso ordine Ies. XLI, 25 eadem fere verba habemus. — החזיקי מלבן, fornax reficienda est, ut magna laterum copia in ea coqui posset; eorum enim duo erant genera, alterum sole siccatorum, id quod sub antecedentibus verbis quaeri potest, alterum coctorum; utroque Assyrios fuisse usos e monumentis [1] hodieque apparet. Quaerendum est autem, num recte iudicaverit TUCHIUS l. l. p. 64, prophetam his verbis „rerum notitiam satis accuratam pro-

---

1) Cfr. BONOMI l. l. p. 9.

bare.“ Qui ad sustentandam sententiam suam Xenophontis laudat verba, πλίνθινον τεῖχος ruinarum Mespilensium commemorantis Anab. III, 4, 11, in quibus testimonium inesse vetus ac grave ad firmanda prophetae verba asseverat. Atque hoc quidem nomine magnopere vv. dd. assentimur; accuratam autem loci notitiam, quae Assyriae incolam oleat, adeo arguere nequimus, quoniam lateribus alicubi etiam aedificandi mos invenitur [1]. Neque enim nisi de simplicibus lateribus fabricandis Nahumi verba agunt; vix igitur huc referri poterunt, quae RICHIUS [2] de singulari quadam lapidum specie tradidit, quae in monumentis interdum reperiuntur, et hodieque Mossuli praeparentur atque usitentur. Refert enim muros haud raro reperiri „formed of the rubbish of the country, well rammed down with a wash of lime poured upon it, which in a short time would convert the whole into a solid mass. At the present day the natives mix pebbles, lime and red earth or clay together, and after exposure to water they become like the solid rock.“ Quo in genere primum statui non satis potest, utrum RICHIUS verbo „lime“ calcem an lutum notaverit; tum vero haec materia conformatur abhibitis aquis, Nahumus autem laudat fornacem. Quare subtilem loci et naturae cognitionem hisce prophetae verbis comprobari non existimamus; longe enim alia esset quaestio, si forte lapides caesi cum conchis et petrefactis commemorati essent, qui nisi in montibus Nino vicinis non reperiuntur [3].

His igitur verbis ironice compellantur Assyrii, ut obsidione propediem instante, reficiant moenia, atque adeo lateribus comparandis operam dent; male igitur GROTIUS: „captis iam portis aliquibus recipe te intra nova munimenta e latere, ascende super illa, et ibi defende quantum potes“ — nec melius KALINSKIUS haec ad reficiendos muros inundatione illa (I, 8) patefactos referenda opinatus est.

1) Cfr. WINERI RW. s. v. Ziegel. HENGSTENB. die Bücher Mosis und Aeg. p. 178.

2) Narrative II, 65. cfr. RITTERI Erdkunde XI, p. 229. 244. BON. p. 5.

3) Cfr. RITTER l. l. p. 175. TUCH. l. l. p. 42.

v. 15.

Ibi devorabit te ignis, exscindet te gladius, devorabit te ut linctor. Ingravescendo sicut linctor, ingravesce sicut locusta! Ironicam compellationem tremenda excipit severitas et certitudo internecionis; quam imprimis innuit v. שָׁם. Quae ab intt. plerisque nude accepta de loco est: in ipsis munitionibus tuis, dum reficiendo eris occupatus, MICH., HOELEM. all.; quid? quod HITZ.: apud fornacem!! alii temporis notionem praetulerunt: „dum ita eris in opere" TARN., GREVE, KREEN., UMBR.; at שָׁם nusquam indicat tempus, et subit mirari, quod GESEN. H. W. laudaverit Iud. V, 1; Ps. XIV, 5. CXXXVII, 17, ubi nihil clarius quam loci cogitatio est. Idoneum voculae sensum acu tetigit CALVINUS ad Ps. XIV, 5: „exprimitur poenae, quam daturi sint, certitudo, ac si eam digito monstraret;" unde non longe abfuit COCCEIUS, cum exhiberet: „nihilominus tamen."— Ignis sicuti v. 13 all. devorare dicitur ob celeritatem, qua omnia usque quaque, quo penetrat, consumit. Igne devorantur aedificia, incolae gladio enecantur [1]. Cum effoderentur pallatia Nini, non solum innumera ignis [2] vestigia in tabulis sculptis reperta sunt, non tectorum solum ligneorum (cfr. Zeph. II, 14), quae magis minusve cremata conciderunt, fragmenta [3], et metallorum ingenti ardore liquefactorum colluvies [4], verum etiam sanguis marmoribus adspersus [5] atrocem huius vaticinii eventum confirmavere. Additur tertio loco consumtionis magnitudo: *devorabit te ut linctor* [6]: Subiectum enuntiati non alterum est ex antecedentibus, ignis vel gladium, sed utrumque una comprehensum cogitatione; LUTHERUS: „es wird dich

---

1) „The condition of the ruins is highly corroborative of the sudden destruction that came upon Nineveh by fire and sword." BON. l. l. p. 336.

2) Cfr. BONOMI p. 213.

3) Cfr. BONOMI ibid.

4) Ex. gr. solium regium, e metallis et ebore factum, flammis aestuque ex parte liquefactum reperit LAYARDUS in colle Nimrudensi. cfr. Athenaeum Lond. MDCCCL, X. Calend. April.

5) Cfr. KITTO Scripture Lands p. 50.

6) Verbum hoc non satis quidem latinum, quod in Gloss. Philox. legitur (cfr. FORCELLINI thes. a. v.), ad v. hebraei potestatem accuratius exprimendam praeeunte MAURERO in nostrum transferre usum non dubitavimus.

fressen ct." ילק locustae nomen poësi proprium, primum a Ioële, indeque Ps. CV, 84, Ies. LI, 27 delibatum; repetendum nomen inde est, quod lambunt quodammodo locustae agros, sive rasos reddunt. CREDNERI opinionem, qui in comm. ad Ioëlem, AQUILAM secutus, quattuor locustarum nominibus ibi obviis certas earum aetates et quasi evolutiones indigitari cogitat, ילק autem dici, priusquam quartam cutem exuerit, refutavit HENGSTB. Christol. III, p. 149 ss. Ambigitur autem, utrum ילק nostro loco sit accusativus an nominativus; illum statuerunt CALV., GROT., KREEN., Ew., HITZ., ob sequentia nimirum vv., ubi linctoris similitudo ad ipsos transfertur Assyrios. Dicunt autem vel in oriente locustarum agmina igne interdum accenso depelli (KREEN.), ita nempe, ut ignes accendantur magni, in quos debeant incidere, cum non possint nisi recto itinere proni volare (Ew.); nec defuerunt, qui e LIVIO XLII, 10 et PLINIO N. H. XI, 29 didicerint, gladiis etiam impugnari belluas istas!! At vero num tantum eiusmodi manipulationes adversus ingentia locustarum agmina remedium afferrent, quippe quae solis hodieque obscurant lucem, et quae apud Ioëlem all. tamquam ineluctabiles describuntur calamitates, quae exstinguere omnia atque depasci solent, quo progrediuntur, tantum dico remedium, ut immensa iis Assyriorum strages valeat comparari? 2) Sequemur igitur alios interpretes MARCK., CALINSK., HOELEM., UMBR., qui nominativum acceperunt: devorabit te ut locusta; cui sententiae contrarium esse nequit, quod eadem similitudo in eodem versu diversis modis adhibetur, cum sequentes vv. 16. 17 eandem vicem ostendant.

Altero membro locustarum imago ad Assyriorum transfertur ingentem multitudinem, atque adeo ad nomen ילק accedit ארבה, quod propter incredibilem numerum, ad quem celeriter amplificantur, belluis istis impositum est. Conceditur Assyriis numeri praestantia, tamen certus iis interitus nuntiatur v. sq. Multitudinis enim cogitationem regnare, neque vero gravitatis, quam e v. כבד elicuit UMBREITIUS (die sich in schwerer Last auf die Bäume hängen), e v. 16 patet; et v. כבד Kal de gravi multitudine legitur Gen. XIII, 2, adi. כָּבֵד Ex. VIII, 20. X, 14 all., subst. כֹּבֶד cfr. II, 10. Ambigitur autem de priore verbi forma הִתְכַּבֵּד, utrum infin. absol. an imperat. masc. sit; si haec est forma, per chiasmum inversum referendum est ad Assyrium, sequens f. im-

perat. femin. ad Ninum, uti plerisque vv. dd., praeeunte HIERONYMO, visum est; neque vero inauditum tale quid apud Nahumum est, atque e crebris generum vicibus, quas in hoc vaticinio deprehendimus, poterit explicari; nihilominus assentiremus MARCKIO, qui inf. absol. cum verbo finito coniunctum vidit (Ew. §. 280, b), interposito substantivo, nisi abhorrere videretur a sermone Hebraeo eiusmodi vv. segregatio; quare apud illam explicandi rationem remanemus. — Iam vero consentaneum maxime esse, ut proposita hac imagine appellentur Assyrii, neque vero, ut IONATHANEM secutus haud probe statuit MARCKIUS, ignem, vix erit quod moneamus; sicuti fuerunt, qui vel in prima versus parte linctoris imagine Ninum innui opinarentur.

v. 16.

Multiplicasti mercatores tuos prae stellis coelorum — linctor diripit et avolat. Continuatur v. anteced. cogitatio: licet non numero solum sed opibus etiam et divitiis videaris insuperabilis esse, nihilominus ineluctabilis te percutiet plaga: raptor a Domino tibi constitutus diripit, et perpetrata spoliatione avolat, quasi quotidianum aliquid nec satis grave ac difficile fecisset.

רכל, cuius rad. = רגל, mercatorem significat, maxime eum, qui unguentorum, margaritarum, vestium pictarum aliarumque rerum pretiosarum commercium agit, cfr. Cant. III, 6; Ezech. XXVII, 13 ff.; Apoc. XVIII, 12. 13. LXX non satis accurate ἐπλήθυνας τὰς ἐμπορίας σου, HIERON. negotiationes tuas, qui tamen apposite monuit, הרבית non tantum esse „multos habuisti“ sed „multos fecisti, studio et artibus amplificasti;“ satis enim a primis inde temporibus intellexerant Assyrii, in commercio propter opportunitatem sedis suae maximum potentiae positum incrementum esse. — Stellae coelorum saepe in ll. ss. abeunt in similitudinem innumerae multitudinis Gen. XV, 5. XXII, 17; XXVI, 4; Ex. XXXII, 13; Deut. I, 10 all.; singulare est autem, quod mercatores excedere dicuntur numerum earum, מכוכבי הש׳, cum alioquin legatur כְּ. Iam vero intt. longe plurimi a proprio mercatorum sensu discesserunt, ideo forsitan, quod commercii laudandi nullum hic locum esse opinarentur. 1) CALV., CYRILL., SCHROED., GREVE, KREEN. mercenarios emptos et socios intellexerunt; e quibus KREENENIUS, cum tale quid cum forma verbi

pugnare probe perspexisset, nullo negotio correxit: רָכְלַיִךְ; 2) alii deinde perperam collato v. 4 Assyrios ideo appellari mercatores existimarunt, quia gentes vendiderunt fornicationibus ct.; 3) postremo, ut alios praetereamus, SUESSKINDIUS[1] quoniam v. רגל interdum est explorare, exploratores intelligendos proponit: „schickst du auch noch so viele Kundschafter aus, um die Stärke der feindlichen Heere zu erfahren, und danach deine Gegenwehr zu berechnen: es hilft dir nichts, der Feind bricht auf einmal los und schlägt dein feiges Heer gänzlich zurück;" quam interpretationem longius abesse a sententia vatis, ipse assecutus esse videtur, cum statim adiiceret, malle se tamen legere רַגְלַיִךְ.

At vero omnia haec interpretandi et corrigendi genera quam sint futilia, facile intelligitur, ubi reputamus, commercium Assyriorum quanti sit habendum, etiamsi veterum scripta, diu post eversam Ninum composita illa, paucissima tantum in hoc genere tradiderint. Considerandum est enim, Ninum „in vertice quasi anguli positam fuisse, in quem itinera et meridiem et occidentem spectantia conveniunt," magna illa inquam itinera[2], quibus merces et exercitus per praecipuas Asiae partes conducebantur; ac praesertim iis, qui ex Asia minore et Phoenicia Syriaque et Aegypto in Persiam et Mediam omnemque Asiam interiorem tendebant, Ninum commodissimum, ne dicam unicum Tigridis praebuisse traiectum[3]; unde haud temere concludendo coniicitur, omnium illarum regionum merces et manufacturas Ninum permeasse eoque quasi in medium quendam locum fuisse congestas[4]. Quo adde quod celeberrima Babyloniorum commercia[5], quamdiu subiecti fuerunt Assyriis, ad caput regni magnopere debuerint pertinere. Qua ex opportunitate et natura locorum cum satis copiosa Assyriorum negotiatio videatur patere, ex Ezechielis in-

---

1) Studien u. Kritiken 1835, 1, p. 155 ss.

2) Cfr. HEERENII Ideen ct. I, b, p. 517 ss. TUCHII comm. s. l. p. 31 ss. GOSSE Assyria p. 581 ss.

3) Cfr. TUCH. l. l. p. 32. 33.

4) Quicquid concludi inde potest, uberrime proposuit GOSSIUS l. l. p. 590 ss. Videntur omnino ea commoda, quae postea ad nostram memoriam usque Mossulae incolis ex egregia loci opportunitate redundabant, omnia etiam ad Ninum haud temere referri; cfr. TUCH. l. l. p. 33. RITTER Erdkunde XI, p. 180 ss. 208 ss.

5) Cfr. HEERENII Ideen ct. I, b, p. 128 — 173.

super de Tyro[1] cantilena docemur, quibusnam rebus maxime fuerint mercati, c. XXVII, 23. 24: „Assur, Kilmad (Charmande ad Euphratem sita) mercatores tui; illi mercatores tui sunt rebus pretiosis (cfr. supra c. II, v. 10), palliis lanae hyacinthae et acu pictis, et cingulis vestium pictarum; fila pretiosa et condensata sunt in mercatura tua[2].“ Atque hac quidem vestium acu pingendarum et pretiosissimis filis variendarum arte quantopere excelluerint Assyrii[3], hodieque ostendunt monumenta, quae singulas fere species ab Ezechiele commemoratas non semel, sed saepissime exhibent[4].

Sequitur apodosis: *linctor diripit et avolat.* Caput explicationis est v. פשט; cuius potestas longe usitatissima est praedandi, diripiendi, late grassandi; de copiis maxime hostilibus dicitur, cfr. Iob. I, 17; Iud. IX, 33; 1 Sam. XXIII, 27; 1 Par. XIV, 9. 13 all. Eam autem significationem nostro loco unice probatam esse, bene vidit Syrus interpres, cum non poneret v. ܦܫܛ, expandere, sed, ne ulla esset dubitatio sensus, ܫܠܚ spoliare cfr. Ies. XXXII, 11 cum pr. ܠ, Pah. exuere; haud secus Schroederus (apud Kreen.) פשט contulit cum فشط, „carpere et per carptionem lacerare,“ neque vero cum بشط exuere. Contra praeeuntibus LXX, ὥρμησε, et Hieron. expansus est, in hac expandendi scil. alas potestate plurimi intt. haerebant ad Hoelemannum usque; sunt etiam, qui cum Maurero praeferant: „exuere alarum involucrem,“ maximeque Crednerus (Ioël p. 295) sequentibus Ew., Hitz. cutis defectum indicari opinatus est; quam sententiam futilem esse demonstravit Hengstb. Christol. III, p. 150 ss.; nam 1) cum confestim sequatur ויעף, fieri nequit quin ילק alis dudum praeditus sit, id quod alii quoque docent loci, Ps. CV, 34; cfr. Exod.

1) Vetustissima inter Phoenices et Assyrios intercessisse commercia testatur Herodotus I, 1.

2) Cfr. Haevernickii comm. a. h. l.

3) Amplissimum Assyriarum artium, fabricarum et commercii rationum conspectum concinnavit Gosse l. l. p. 534—610. cfr. etiam Bonomi l. l. p. 332 ss., Layard 397 ss.

4) Vestes pictas cfr. Layard the Monuments of Nineveh tab. 5. 6, et omnia fere deorum regumque vestimenta ex. gr. Layard. Nin. und seine Ueberr. p. 343, fig. 14. Bonomi p. 140. 203. 271. Gosse p. 98. 447 all.; cingula pretiosa Lay. p. 250. Gosse p. 458; fila artificiose inter se contexta Lay. fig. 51, Gosse p. 235.

X, 12 ss.; 2) tum vero f. Kal transitivam habet potestatem, cfr. Lev. VI, 4; Cant. V, 3; Ez. XXVI, 16, atque adeo egeret accusativo כנפים, qui deesse non posset, quoniam verbo longe crebrior inest vis rapiendi; 3) postremo secundum v. antecedentis similitudinem aliqua opus est apodosi, quae ingentibus Assyriorum opibus certum opponat interitum; ibi enim versa vice primum videmus destinatam proponi consumtionem, deinde multitudinem nihil profuturam. — Quae cum ita sint, alterum omnino v. membrum nullo modo referendum ad Assyrios esse, uti maxima intt. pars statuerunt, dilucide apparet; quo praeclara vis orationis dici vix potest quantopere extenuetur, praesertim cum seq. v. abunde de hac re agat; imo ad hostes pertinet, ut probe perspexit DE DIEU, ita ut sensus evadat ille quem in limine indigitavimus: etiamsi opibus et divitiis tuis ingentem militum tuorum numerum sublevari opineris, nihilominus diripientur illae, idque nullo fere negotio, quemadmodum locustarum quotidianum opus est, ut depascantur arva, et pasti alio avolent. Praeclara nimirum similitudo, eaque sacrâ simul condita ironiâ!

v. 17.

Neque vero in triplici locustarum translatione vates acquiescit: addit postremo aliam. *Principes tui locustarum instar et duces tui ut locusta locustarum, quae considunt in maceriis die frigoris; sol oritur, et aufugiunt, et ignoratur locus eius — ubinam illi?* — Impedita versus enarratio duobus est verbis: מנזריך et טפסריך, quae multiplici labore exercuerunt interpretes. Atque ut statim in primum inquiramus, duo omnino notationum genera sunt; alterum ab iis institutum est, qui simpliciter ex hebraico sermone notionem verbi elicere student; alterum tuentur ii, qui similibus vocibus hinc illinc conquisitis illustrare potius, si bene cedit negotium, quam explicare quaestionem et absolvere valent. Ac nos quidem primam illam secuti rationem, verbo meminimus satis usitato נֵזֶר diadema, corona, cfr. Ex. XXIX, 6; 2 Reg. XI, 12; Ps. LXXXIX, 40 all., unde denominativum praep. מ formatum significare potest eum, ad quem pertinet corona (cfr. Ew. §. 160, b. init.), i. e. coronatum, principem; sic KIMCHIUS interpretatur vocem: שרים אשר נזר ועטרה על־ ראשיהם, et Syrus interpres ܢܙܝܪܝܟܝ; ac si audacius forte egisse videamur, cum eiusmodi

verbi specie personam notari dixerimus, GESENIUS (thes.) cautius abstractivam formam concretivae agere vices docuit. Unde autem, quaeritur, Dagesch illud in l. כ ? Non multum attulere lucis, qui de מִן partitivo cogitarunt, MAUR., HOELEM.: „principum tuorum tam multi sunt ct.;“ quidni enim alteri quoque voci טִפְסְרַיִךְ praepositum esset? impeditius etiam I. D. MICH. suppl. vertit: „ii qui a diademate sunt scil. proximi.“ Ut alia praetereamus commenta, recte statuisse videntur, qui Dagesch euphonicum arguerent, uti eiusmodi notam appellavit GESENIUS, expressius Ew. Dagesch dirimens, cfr. §. 92, c. 160, c, quemadmodum apparet in v. מִקְּדָשׁ, מַפֵּזְרָה all.[1] Haec autem verbi notatio confirmatur eo, quod duces Assyriorum, nec duces solum, verum omnes etiam, qui supremis muneribus regiis fungebantur, diadematis et coronis pretiosisque vittis erant ornati, uti docent monumenta[2]. — Iam vero MEIERUS Wurzelwb. et MAURERUS principum cogitationem a nexu sententiarum prorsus alienam esse contendunt; at nonne sequente versu afferuntur pastores, i. e. principes et duces, atque magnifici, magnates? HITZIGIUS autem haecce monuit: „mit Heuschreckenhaufen verglichen werden sollten nicht Solche, die verhältnissmässig stets wenige sind, sondern, deren wie jener Krämer, eine grosse Zahl;“ verum enimvero principum notioni non tantopere est insistendum, possunt omnino duces et proceres cogitari. Atque ut de ducibus militaribus in utraque voce enucleanda praeter cetera cogitemus, movemur etiam eo, quod in regia expeditionum et victoriarum commemoratione, titulis cuneatis fere expressa, tria praesertim militum genera commemorantur, quae RAWLINSONIUS anglico sermone reddidit:

---

1) GREVIUM, sicuti omnes fere nodos, ita hunc quoque aliis verbis suppositis expedire non miramur; non minus abiicere onus callet KREENENIUS: „omnium fortasse simplicissimum est, ut incommodum illud Dagesch deleatur,“ quod deest revera in 6 Mss. Rossianis, unde ab emendante quadam manu eiectum apparet.

2) Cfr. LAYARD. Nineveh u. seine Ueberr. p. 357. GOSSE Assyria p. 463: „High officers of the state were adorned with diadems, closely resembling the lower band of the royal mitre, separated from the cap itself ..... Very commonly the head was encircled with a simple fillet or hoop, probably of gold, without any adornment ct.“ Eiusmodi diadematum, passim obviorum in monumentorum tabulis, imagines expressit GOSSE l. l.; BONOMI p. 319 secundum BOTTAE tab. 163.

„leaders, captains, and men of war,“ sive „superior officers, captains, and fighting men“ [1], e quibus duae ducum species nostra fortasse verba reddunt; quod utrum probe coniecerimus nec ne, futurae scriptionis Assyriae indagationi committimus. Ceterum eiusmodi ducum numerum probe posse locustis comparari, eo confirmatur, quod rex qui fastos suos expressit in obelisco Nimrudensi, e devicta aliqua gente, quae cis Euphratem incolebat, captivos abduxisse gloriatur „13,000 of his fighting men, 1121 of his captains, and 460 superior officers“ [2]; ac licet exaggerati possint numeri esse neque in hanc versionem iurandum adhuc videatur, assequi tamen facile valemus, si permulti eorum in minore aliqua gente fuerunt, quot ingenti imperio debuerint contineri!

Utcunque est, haec notatio vocis simplicitate et veri specie magnopere commendatur prae eorum coniecturis, qui arabica verba similia advocaverunt ad praestandum auxilium; sic fuere, qui conferrent منذر monitor; HITZIGIO quoque videtur „vermuthlich dem arabischen abgeborgt,“ atque referendum ad f. صنثر a. v. نثر, diffusus; denique MAURERUS HW. Nachtrr. e collato منسر equitatum turmas elicere sibi videtur. — LXX nullo nobis adiumento sunt, qui sic reddiderunt versum: *ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος ὁ συμμικτός σου, ὡς ἀκρὶς ἐμβεβηκυῖα ἐπὶ φραγμὸν ἐν ἡμέρᾳ πάγους κτλ.*; quos secutus HIERON.: „vulgus ignobile et de diversis gentibus;“ qui nescio an confuderint מנזרים cum ממזרים, peregrinis.

De altera voce coniiciendo elicere aliquid possumus e vv. Ier. LI, 27, ubi convocantur ad evertendam Babelem regna Ararat ct., Medorum reges, satrapes, praefecti all., atque inter eos טִפְסָר; ex quo sententiarum nexu primum videtur patere, ducum aut praefectorum aliquam speciem indicari verbo; tum vero, cum ibi quoque locustarum constituatur similitudo („ascendere facite equos instar linctoris atrocis“), veri est simillimum, Ieremiam ad nostrum locum respexisse. Maxima autem interpretum pars bene opinantur, Assyriam esse vocem, neque vero Hebraeam; nec longi esse in enumerandis vv. dd. commentis volumus; teme-

---

1) Cfr. RAWLINSON Commentary on the Cun. Inscr. p. 35. 39. 40. 41 all. Assyriae voces nondum publici iuris factae sunt.

2) Cfr. RAWLINSON. l. l. p. 41.

rius tamen MICH., HOEL. sine mora idem esse ac שׁרדפן, Esth. III, 12 ss. acceperunt, quae Persica vox est. Eundem ferè sensum, vel cognatum saltem, subesse voci, quem ex altero מנזרים elicuimus, vix est quod dubitemus; quare in ducum potestate acquiescamus, donec enucleatae Assyriorum inscriptiones idoneam lucem afferant[1]. LUTHERUS exhibuit: Herren und Hauptleute.

Iam vero utrumque ducum vel principum genus comparatur locustis, primum propter multitudinem, deinde ideo, quod celerrime sede aliqua relicta ita evanescunt, ut ne vestigium quidem eorum reperiatur. Locustae igitur primum v. ארבה expressae, tum vero vv. גוב גובי, cfr. גוה emergere e terra. Forma גּוֹבָי, quae voc. Patach ornata reperitur apud Amosum (VII, I), HIERONYMO, GESENIO thes., Lehrgeb. p. 523 pluralis esse species visa est; rectius MARCK., MAUR., HITZ., Ew. singularem amplificatam suspexerunt; quam explicandi rationem nec ipse quidem improbavit GESENIUS in thes., praetulit tamen alteram, quia haud raro sing. et pluralis forma ad augendam verbi notionem coniungerentur. At vero mera verbi repetitio haud raro ornate amplificat cogitationem, uti sat multis exemplis demonstravit Ew. §. 303, a, v. c. גוֹי קַו־קָו, Ies. XVIII, 2, בֶּאֱרוֹת בֶּאֱרוֹת foveae permultae, Gen. XIV, 10; satis autem praeclare altera vox exaucta proponitur specie; in qua definienda Kamez referimus ad pausam, secus atque EWALDUS, cui ad ipsam verbi formam pertinere videtur, §. 177, a; 152, a; id quod improbamus, cum in loco Amosi Patach subscriptum reperiatur; tum vero exitus verbi in ַי duriorem atque antiquiorem habet pronunciationem ָי, cfr. כִּילַי Ies. XXXII, 5; חוֹרַי Ies. XIX, 9 all. cfr. Ew. §. 164, c. Probe igitur HOELEM. hoc dicendi genus descripsit: „agmen agmini iniectum;“ nos fere: lauter Heuschrecken. Nihil erat ergo quod BOCHARTUS Hieroz. II, 458 alterum verbum cum sequentibus coniunxerit: .... locustae; locustae (inquam), quae ct. — Locustae igitur *considunt*, literate: castra metantur, *in maceriis die frigoris*. Frigore volandi potestatem belluis illis extenuari iam veteres notaverunt HIERON., THEOD., CYRILL.; considunt ergo in sepibus et maceriis, ubi adversus ventos et frigus habeant

1) Altera verbi pars סר nescio an regem s. principem significet; cfr. RAWLINSONII Indiscriminate List No. 140: sar = a king; Babylonico sermone sarru idem valet, cfr. RAWL. Analysis of the Babyl. text at Behistun p. III.

refugium; at *cum exoritur sol*, i. e. cum altius ascendit tempore verno vel aestivo, avolant, nec novit quisquam locum, nec ubi fuerunt nec quo iam abiere. cfr. BOCH. l. l. De voce ביום קרה ambigitur, utrum hibernum tempus an noctem indigitet; quibus hoc placuit, MARCK., BURCK., MAUR., HITZ. all., ii neglexerunt, tantam libertatem frequentissimo etiam verbi usui vix concedi apud Hebraeos, ut, sicuti in Arabico sermone non rarum est, contraria valeat significare; ex altera parte nequit negari, v. זרח non aliter dictum inveniri nisi de sole oriente 2 Sam. XXIII, 4; Ion. IV, 8 all., vel de splendore e tenebris elucescente Ies. LX, I; Deut. XXX, 2, ita ut nequeat solem altius paullatim surgentem significare. Nec probe difficultatem composuit HOELEMANNUS, cum „diem illum frigidum inter et calidiorem solis ortum noctem interesse cogitandam" existimaret. Nobis constare omnia videntur, modo recolamus, in illis regionibus hiemali tempore solem semper fere obductum nubibus esse; quibus discussis, erumpit quodammodo e caligine (זרח), et libere splendens reducit calorem. — נודד, f. Poal a. v. נדד cfr. v. 7, passiva specie, alibi non obvia, egregie Assyrios non sponte sua sed fugatos evanescere indigitat; singularis autem numerus ingentem praefectorum numerum unius agminis cogitatione comprehendit. — Additur per assonantiam: ולא נודע מ", *et ignoratur locus eius;* cfr. I, 8; Ps. CIII, 16. אַיָּם praeclare et per ludibrium (UMBR.) plane illos evanescere et rasos quodammodo a solo esse notat; cfr. Sach. I, 5; Ps. CIII, 16: „nam ventus transit per eum, nec est, nec novit eum etiam locus eius;" forma contractione evadit ex אַיֵּה הֵם. LXX confuso איה cum אוי: *οὐαὶ αὐτοῖς*. — Ceterum vix erit quod moneamus, similitudinem non in singulis etiam ita esse exigendam, ut solis quoque exorientis scopum quaeramus, uti MARCK. all. Deum intellexerunt, a quo expellerentur Assyrii; imo tertium, quod aiunt, comparationis nihil est, nisi quod subito evanescunt nec ullum eorum superest ne vestigium quidem.

b. v. 18. 19.

v. 18.

Dormitant pastores tui, rex Assyriae, quiescunt magnifici tui; dispersi sunt populus tuus per montes, nec est qui colligat. — נום

saepenumero de pastoribus et ducibus dictum una cum שׁכן, cfr. Ps. XXI, 4. Ies. V, 27. LVI, 10; notare solet lassitudinem cum somno comparatam, quam Graeci bene reddiderunt v. *νυστάζειν;* quare hoc quoque loco meram negligentiam et lassitudinem plerique per somni similitudinem significatam acceperunt, ex. gr. Mich., Kalinsky, Kreen., Maur. all.; at vero cum versu praecedente duces plane habeamus exstinctos atque funditus deletos, languidum magnopere esset, si merus iam somnus et lassitudo adderetur. Alia est autem, eaque longe fortior similitudo, ad quam transfertur verbum, mortis dico, uti habetur Ps. XIII, 4. LXXVI, 6; Ier. LI, 39. 57; eamque recte statuerunt Theodor., Hesselb. Pastorum autem imaginem persaepe transferri ad eos constat, quorum curae populus permittitur, cfr. Ies. XLIV, 28; Micha V, 4 all. Masculini generis suffixa, feminina iam excipientia, nominatim appellato *rege Assyriae* explicantur. אדיריך, magnifici, proceres cfr. II, 7, sunt proximi a rege, qui populi colligendi, instruendi, regendi curam ad eos detulit. Quo loco collato, vix cum Grevio, Maur., Hitz. caprum gregis ducem intelligemus, אדיר הצון Ierem. XXV, 34. שכן Hieron. praegnantius reddidit „sepelientur."

נפשו *dispersi sunt*, f. Ni. unice hoc loco obvia, plurali numero coniunctum cum sing. עמך, quod temere nonnulli ad exercitus notionem restringunt, ut notetur populus, unum eo usque quodammodo corpus, iam disiectis membris fractus iacere (Hoel.). Eandem hanc gregis dispersae similitudinem legimus institutam Num. XXVII, 7; 1 Reg. XXII, 17; Sach. XIII, 7. *Montes* appellantur, in quibus trucidati passim iaceant, quia ex planitie et magnitudine locorum, ubi nullum datur refugium, in inculta montium et convallium securitatem miseri illi confugerant; at ibi etiam persequentium manibus caesi sunt. Consimilem sententiam exhibitam legimus in praeclaro Ezechielis cantico de praeteracto regni Assyriaci splendore, c. XXXI; ubi Assur comparatur cum cedro, et praestantia eius et magnificentia uberius descripta v. 1–9, sequitur eversio et destructio v. 11–17; quo in genere canit v. 12: „in montibus et omnibus convallibus ceciderunt rami eius, et confracti sunt surculi eius in omnibus rivis terrae ct." cfr. XXXII, 22: „ibi (iacet) Assur et omnis multitudo eius, in circuitu eius sepulcra eorum; omnes percussi, qui ceciderunt gladio." — ואין מקבץ, *nec est qui colligat* disiectos, ovium instar

nimirum; paullo aliter HIERON.: „nemo de ducibus inveniri potest, qui congreget eos et de collectis rursum cogat exercitum.“ HESSELBERGIUS liberius: „qui sepeliat.“ LXX non Assyriorum regem, sed Israelem appellatam fecisse videntur, cum exhiberent: *ἐνύσταξαν οἱ ποίμενές σου, βασιλεὺς Ἀσσύριος ἐκόμισε τοὺς δυνάστας σου· ἀπῆρεν ὁ λαός σου ἐπὶ τὰ ὄρη, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἐκδεχόμενος.* Extrema verba fuerunt qui sic acciperent: „qui eos recipiat in refugium,“ alii autem, ut HIERON.: „qui eos retineat et ignavos reducat ad resistendum hostibus,“ CYRILL., THEOD. Rectius AQUILA et THEODOTION: *ὁ συναγών.*

v. 19.

Extremus vaticinii versus acerbe magnitudinem immensam excidii simul et nequitiae proponit, ne quem tantae ultionis lateat caussa. *Non est mitigatio fracturae tuae, aegra est plaga tua; omnes qui audiunt famam tuam, plaudunt manu; nam super quem non transibat malitia tua perpetuo!* — כֵּהָה singulare substantivi exemplum, ex adiect. femin. delibatum; verbum כהה significat languescere Ies. XLII, 4; Iob. XVII, 7; Lev. XIII, 6. 21. 26 all.; inde subst. notat languorem, mitigationem, uti recte statuit COCCEIUS, vel remissionem, uti L. CAPELLUS LXX: *οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου.* Ab hac idonea notatione, cui patrocinantur KREEN., EW., MAUR., HOEL., recesserunt MARCK., KALINSK., BURK., qui interpretati sunt: contractio vulneris, quae notio non admittitur Ies. XLII, 2; nec probe Peschito reddidit: ܘܠܝܬ ܕܟܐܒ ܠܗ ܥܠ ܬܒܪܟ, nec est qui doleat de fractura tua, IONATH., LUTH.: niemand wird um deinen Schaden trauern, noch sich um deine Plage kränken; denique HIERONYMUS: non est obscura contritio tua. — שבר fractura, ad calamitatem et interitum hominum ab ossibus translata, neque vero a vasis figulinis (KALINSK.); haud raro dicitur non solum de calamitate bello accepta Ps. LX, 4 (cfr. HENGSTB. a. h. l.), sed etiam de interitu et exitio Prov. XVI, 18, de exsilio Thren. II, 11. III, 47; saepe quoque coniunctum cum vv. sqq. נחלה מכתך, cfr. Ier. X, 19. XIV, 17; XXX, 12; qui concentus enuntiatorum possit quidem fortuitus esse, uti censuit KUEPERUS l. l. p. 75; verum quoniam Ier. XXX, 8 vidimus Nahumi et Iesaiae simul referre verba (cfr. ad I, 13) aliquem saltem nostri quoque loci suspicabimur respectum, ne di-

cam imitationem. — חלה Ni. graviter aegrotare, cfr. Ies. XII, 13. XVII, 1; Dan. VIII, 27; GREVIUS perperam vertit: depravatum est negligentiâ, et SCHROEDERUS nimium tenax notionis formae Kal: attrita est ad ossa usque. Syrus interpres, qui exhibet ܟܐܒܗ ܡܚܘܬܗ apposite titulum totius vaticinii in memoriam legentium revocat, משא נינוה, quem eodem ille expressit verbo; cfr. ad I, 1. — Suffixa mascc. plagam et fracturam regi quidem inflictam esse indigitant, regi autem non tanquam homini singulo propter sua flagitia destinatam (UMBREITIUS: „er selbst stirbt hin, ohne Linderung der Schmerzen, an tödtlicher Verwundung"), sed eo nomine, quo totum regnum unius regis persona comprehensum cogitatur (HITZ.); id quod tam e seqq. vv. (תמיד ע' ר'), quam e collatis vv. I, 14 apparet. — Ceterum notandum est egregium documentum, quod ex his verbis ad eam potestatem verbi משא redundat, quam nos ad c. I, 1 demonstravimus. cfr. p. 6. — Copiosius eandem sententiam dixit Ieremias LI, v. 8. 9. „Subito concidit Babel et fracta est; ululate super eam, sumite unguenta pro dolore eius, si forte medeatur ei! — — Curamus Babelem nec sanatur — destituamus eam et abeamus ad suam quisque terram; nam tangit coelos iudicium eius et elatum est usque ad nubes!"

Iam quia tanta est Assyriorum calamitas, ut respirare inde nunquam valeant, iure plaudentes laetantesque gentes praesagiente animo audit vates, quae ab iugo diuturno et exsecrabili crudelitate tandem sunt liberatae. *Omnes qui audiunt famam tuam* s. auditionem, excidii nimirum tui atque interitus, (de eiusmodi genitivi obiectivi ratione cfr. DELITZSCH. ad Hab. III, 2, ubi eadem leguntur verba) *plaudunt manu* s. vola (accus. instrum.), cfr. Ps. XLVII, 2. coll. Ps. XCVIII, 8; Ies. LV, 2; non stuporis (HIERON.), sed laetitiae et gaudii gestus; CYRILLUS: *χαρήσονται καὶ κροτήσουσι.* Haud secus aliis locis, descripta internecione, inimicorum olim subditorum adduntur ludibria, cfr. Ier. XLVIII, 20. LI, 8 all.; quemadmodum Zephania, qui extrema verbi divini contra Assyrios fulgura paucis ante eversam Ninum emisit annis, brevem et succinctam comminationem II, 13–15 hacce claudit voce: „Haec est urbs illa exsultans, habitans secure, dicens in corde suo: ego et defectus mei amplius! Quomodo redacta est in vastitatem, cubile bestiis! omnis qui transiverit eam, sibilabit, agitabit manum suam!"

Postremo laetitiae illius ac totius simul poenae atque ultionis additur caussa: *„nam super quem non transibat malitia tua perpetuo!“* עבר eodem dictum sensu quo II, 1; עבר בְּ transire super aliquem, s. pessumdare aliquem malitiose; id quod HIERON. in bonam partem accepit: „super quem non pulchre transierit, non enim potest malitia regis Assyriaci in hostibus eius iugiter permanere;“ haud probe: cfr. III, 7; nec omnem verbi potestatem reddiderunt Graeci, assentiente BIBLIANDRO: *ἐπὶ τίνα οὐκ ἀπῆλθεν ἡ κακία σου διαπαντός;* — רעה est malum, malitia; qua voce ingens iam atque horrenda scelerum ab Assyriis perpetratorum caterva comprehenditur. Haec erat malitia illa, quae „ascendit ante faciem Domini“ Ion. I, 2, et quae cum universa eorum complectatur peccata, hoc tamen loco perfidia illa maxime et nequitia continetur et crudelitate, qua innumeras deinceps gentes torserunt atque cruciaverunt; quas, posteaquam falsis praestigiis deceperunt III, 5, minis II, 14 et violentia III, 1 subiecerunt I, 13, pessumdatas II, 1 exuerunt II, 3, spoliatosque suffocavere II, 12. 13. III, 1. Atque atrocem eorum crudelitatem, quam ll. ss. et memoria rerum satis superque prodiderunt, ipsa nunc eorum vel monumenta contestantur; in quorum tabulis non solum immenso ipsi capitum captivis decussorum numero gloriantur [1], verum etiam integras exhibent series devictorum stipitibus per media corpora actis confixorum [2]; denique in Khorsabadicis ruinis, Salmanassaris olim regia, imagines aulam iudicialem [3] exornantes quinqe exhibent gentium principes [4], anulis per labia defixis et funibus tractos [5]; ex quibus alius ab ipso rege perfoduntur oculi [6], alii manibus pedibusque ad murum adstricto, cultris vivo detrahitur cutis [7]. — Sic ipsissima Assyriorum monu-

---

1) Cfr. BONOMI l. l. p. 191. 225. — cfr. 2 Reg. X, 8.

2) Cfr. l. l. p. 190.

3) Conclave VIII, cfr. BOTTA tab. 132.

4) Cfr. BONOMI p. 169.

5) Cfr. ibidem.

6) Cfr. BONOMI p. 168. 169; dirum hoc contumaciae et laesae fidei supplicium extremus etiam Iudaeorum rex, Zedekia, a Nebucadnezare passus est, 2 Reg. XXV, 7. cfr. Iud. XVI, 21. Et quoniam eadem intercedit inter magistratus et cives ratio, quae inter parentes et liberos, consimilis poena contumacibus liberis imponitur, Prov. XXX, 17. cfr. XX, 20.

7) Cfr. ibid. p. 167.

menta, longa seculorum praeteracta serie, accusatores eorum emergunt e pulvere et comprobandae verbi divini veritatis testes. „Nam saxum e muro conclamabit, et tignum e tabulato ei respondebit.“ Habak. II, 11.

Quae cum ita sint, finem vaticinii redire ad initium videmus, cum atrocium peccatorum multitudo divinam flagitet ultionem (I, 1. 2.). Neque vero eorum proponuntur flagitia et praedicitur vindicta, qui aliquot tantummodo gentes sua vexaverint perfidia atque nequitia: sed eorum, qui summam teneant omnium potentiam et universum terrarum orbem (עַלֹ־ מִי לֹ' ע') tamdiu conculcaverint pedibus, et sacram praesertim Dei gentem excruciaverint; quae licet longe graviores poenas suis meruerit peccatis, immensa tamen Domini clementia et misericordia, posteaquam aliquamdiu vapulavit, a tristi illorum iugo et dominatione iamiam liberabitur. Quare longe magis magnificum Nahumi nomen extrema haecce revocant verba, et praeclaras, quas expressas in se gerit, promissiones. Extremum igitur enarrationis nostrae lapidem praeclara imponant LUTHERI verba:

„Hic videmus, quam sint omnia in hoc propheta consolationum plenissima, quibus Deus Optimus Maximus suos pios contra vim et insultum hostium consolatur. Quae consolationes nos omnes etiam animare debent in quacunque necessitate, ut confidamus credamusque plane, non permissurum Dominum, út praevaleant contra nos adversarii verbi Dei. Sicut enim promiserat Iudae liberationem, et regnum salvum, ex quo nasciturus erat Christus, et promissis stetit, fecit omnibus hostibus superiores, id quod hic apertissime in tam potentissimo et opulentissimo regno Assyriorum exhibuit: ita non dubitemus etiam nobis affuturum in omni necessitate, sive corporali sive spirituali. Siquidem unus est adhuc Deus, qui redemit Iudam, qui dixit, non casurum capillum de capite nostro sine voluntate sua.“

ADDENDA ET EMENDANDA.

p. XIII, l. 23 lego sis CXV.

p. XXII, not. l. 5. cfr. GROTEFENDII disputationem: Die Sternkunde der Babyll. u. Ass., cfr. Erläuterung der Keilschriften babylonischer Backstein-Cylinder. 1852, p. 13—23.

p. XXII ss. Cum opusculum nostrum typis totum esset exscriptum, feliciter evenit, ut novissimum LAYARDI librum modo editum acciperemus, cui inscriptum est: „Discoveries in the ruins of Nineveh and Babylon, with travels in Armenia, Kurdistan and the desert; being the result of a second expedition ct. Lond. J. Murray 1853 (685 p.)." cfr. supra p. XXXIII, not. Quo libro magnificentissimo ingens atque praeclara continetur rerum silva, ab a. 1847 deinceps comparata, qua Assyriae antiquitatis cognitio magnopere amplificata est; praeter cetera Sanheribi regis praestantissima monumenta reperiuntur descripta, nec non cuneorum sententiae secundum HINKSII et RAWLINSONII interpretationes propositae; et cum permulta ex iis, quae de rebus Assyriorum notavimus, gravissimo hoc libro magnopere appareant confirmata, quae maximi videantur momenti esse, ea deinceps iam addenda existimavimus. — Ac primum quidem LAYARDUM et ipsum de diis Ass. ita videmus sentire, ut supremi numinis duas reperiri figuras supra descriptas illas p. XXIII, existimet p. 637. 8; et quod ad Ascherae notionem illustrandam attinet, ea arboris sacrae species, quam primo loco descripsimus, luculento exemplo habetur p. 343, cum tertia ratio clarissime conspiciatur in cylindro quodam Sanheribi p. 160. Quo adde simplicissimam arboris formam ad meram naturam expressam in cylindro Babylon. cfr. HOEFER Chaldée ct. tab. 20, fig. 4. Porro praeter Assaracum XII deos maiores distinguendos una cum RAWL. et HINKSIO docet, quorum nomina in regia tabula quadam recensentur, cfr. p. 629; totidem apud Aegyptios et apud Graecos dii maiores fuerunt.

p. XXX, l. 8. Populus non desiit immolare in montium iugis, cfr. 2 Parall. XXX, 17. Eiusmodi arae in monte constitutae imaginem exhibet BON. Nin. p. 172.

p. XXXVI, l. n. Quanto RAWLINS. et HINKSIUS (cfr. Transactions of the R. Irish Academy, vol. XX. XXII ct.) et LAYARDUS, suam quisque secuti rationem, ad easdem magis magisque adducantur sententias, atque in minutis tantum rebus dissentiant, per omne LAYARDI opus dilucide conspicitur. Maxime autem ponderis est tabula quaedam signorum cuneatorum, in cylindro expressa, de qua LAY. p. 345: „on one (cylinder) Dr. HINKS has detected a table of the value of certain cuneiform letters, ex-

pressed by different alphabetical signs, according to various modes of using them, ct." cfr. p. XXXVII.

ibidem, not. l. 4. Vasorum illorum titulos Chaldaico sermone perscriptos, copiose iam excudi curavit LAY. l. l. p. 509—26, addita interpretatione et disputatione ELLISII, ex qua formulas continent, quibus recitatis Iudaeorum in exsilium abductorum posteri a malis geniis cavebant.

p. XXXVIII, l. 2. lege: Nabopolassarem.

ibid. sub fin. l. 3. De tabulis illis, quibus rerum a singulis regibus deinceps gestarum continetur memoria, uberius exponit LAY. l. l. p. 345.

p. XLII, not. l. 19 dele: PLINII.

ibid. sub fin. l. 3. lege: p. 67. 69.

p. XLV, l. 1. Posterioribus temporibus Nini nomen in regionis etiam illius et praefecturae nomen abiit, cfr. TUCH. comm. de Nino urbe p. 24. WEISSENBORN Ninive p. 20.

p. XLVII, not. cfr. LAY. l. l. p. 634: „The empire appears to have been at all times a kind of confederation formed by many tributary states, whose kings were so far independent, that they were only bound to furnish troops to the supreme lord in time of war, and to pay him yearly a certain tribute. Hence we find successive Assyrian kings fighting with exactly the same nations and tribes, some of which were scarcely more than four or five days' march from the gates of Nineveh. On the occasion of every change at the capital, these tributary states seem to have striven to throw off the Assyrian yoke, and to have begun by refusing to pay their customary tribute. A new campain was consequently necessary to bring them to obedience ct." — cfr. Ies. X, 8. 9.

p. XLVIII, not. 2, lin. 1. HINKSIUS nomen regis et ipse asseverat esse Divanubar. cfr. LAY. p. 616.

ibid. l. 3. 4. lege: Salmanassare.

p. LII, not. 1, l. 13. Adde vasorum bovis imagini impositorum specimen, haud secus ac 2 Parall. IV, 14. 15 commemorata, reperiri in tabulis Koyundjucensibus, cfr. LAY. p. 588, sicuti inter aedificia a Salomone et ab Assyriis regibus condita permagnam similitudinem intercedere docet LAY. p. 642. 664.

p. LVI, not. Salmanassarem eundem esse ac Sargonem, e monumentis comprobari LAYARDUS haud secus contendit ac RAWLINSONIUS, l. l. p. 148, simulque omnium fere vv. dd. lectionem nunc nomen Sargonis indigitare notat p. 618, HINKSII autem opinionem, qui Sargonem post Salmanassarem regnasse putavit, idoneis argumentis carere; ibidem. Iuvat autem videre, quod LAYARDO auctore p. 620, RAWL. iam discessit ab illa opinione, qua Tiglath Pilesarem et ipsum a Salmanassare non differre existimaverat; monumenta autem, e quibus certum aliquid de rebus ab eo gestis elici possit, nulla fere adhuc inventa sunt, cfr. p. 617. 18.

LVII, not. 1. In Khorsabadica tabula quadam Salmanassar 27,280 Israelitas deduxisse gloriatur e Samaria aliisque oppidis circumiacentibus. cfr. LAY. p. 618.

ibid. not. 2. Gravissima loca, quibus nomina et monumenta Assyria

in Asia minore reperiuntur, omnia fere in regiis itineribus sita sunt, quae luculentissime exaravit KIEPERTIUS in tabula geogr., cui inscripsit: „Uebersicht der Assyrisch-Persischen Königsstrassen und der älteren Völkergränzen unter der Persischen Herrschaft in Vorder-Asien. 1845."

ibid. sub fin. l. 3. Figura regis non Salmanassaris sed Sanheribi est, cfr. LAY. Ninive u. s. Ueberreste p. 391 not. Nin. and Babyl. p. 210.

p. LIX, not. l. 1. 800 talenta argenti, neque vero 300, HINKSIUS etiam commemorari docet; quare cum 500 talentis discrepent Sanheribi verba a ll. ss., apposite monet LAY. l. l. p. 144. 5, ea forte argentei apparatus e templo desumti pondus referre.

p. LIX, not. 1. LAYARDUS et HINKSIUS eo discrepant a RAWLINSONIO, quod Aegyptios a Sanheribo non apud oppidum Lachisch devictos censent, quoniam nomen oppidi Al..ku non certo definiri possit; universum autem inscriptionis eius a RAWL. explicatae argumentum plane confirmat uterque, p. 142 ss. Tum vero amplissimam alio loco invenerunt de Lachischa expugnata narrationem in qua nomen expresse legatur Lachischa, p. 149 ss.; qua finita permultos incolas miserrime excruciavit et trucidavit; depingitur Sanherib, in solio regali ante portam urbis sedens, atque supplicia exsequenda inspectans; invenitur etiam captivorum Iudaeorum imago, cfr. p. 152.

p. LXIII, l. 1. Non Assarhaddonem, sed fratrem eius consimili nomine insignitum tam RAWLINSONIUS, quam HINKSIUS exhibent l. l. p. 145. 621, quemadmodum in Canone PTOLEMAEI Aparanadius ab Asaradino differt.

ibid. not. 1, adde: cfr. MOSIS CHORENENSIS Histor. Armen. ed. WHISTON, Lond. 1736, p. 60.

ibid. not. 4. Titulum, quem sibi arrogasse dicitur Assarhaddon: „king of Egypt, conqueror of Aethiopia" primus enucleavit HINKSIUS, cfr. LAY. l. l. p. 621 not.

p. LXXIII, l. 16 ss. De rebus Assyriorum post Assarhaddonem gestis e monumentis haud multa neque ea quidem satis explorata elici possunt; duorum vel trium regum aedificia et inscriptiones reperiuntur. cfr. RAWL. Outl. p. XLI; LAY. l. l. p. 621.

---

p. 6 not. Posteaquam illa commentarii pars iamiam subiit prelum, prodiit HENGSTENBERGII comm. in Cant., in quo (p. 92) idonea vv. Prov. XXXI, 1 proponitur explicatio.

p. 28, l. 17, adde: cfr. Mich. VII, 2 יצודו חרם, coll. HITZIGII comm. a. h. l.

p. 14, sub fin. l. 2. lege: BACO ait.

p. 23, l. 7. l. יהוה.

p. 25, l. 12. l. sic.

p. 27, l. 18. l. septuaginta.

p. 52, l. 16. l. accurate.

p. 56, l. 5. l. evacuarunt.

p. 61, l. 3. l. Proprius. l. 25, Scytharum.

p. 94, l. 10. l. Tiglath Pilesare.

p. 97, l. 17. l. שְׂדֵרָה.

p. 100, l. 5. 7. l. Assarhaddonem.

p. 110, l. 2, s. fin., a. v. בכורים. Ficus praecoces summo loco habebantur, cfr. Ierem. XXIV, 2; atque adeo similitudo praeclare amplificatur, cum ita fere audiat: munimenta tua omnia instar cupediarum cadent in ora desiderantium, quibus nihil negotii est, quam ut labiis eas capiant.

p. 116, l. 19 ad l. Zeph. II, 14: cedrorum reliquias, quibus tecta fuerant ornata, permultas iam inter monumenta inventas esse, et vel commemorari, quod a Libano monte petita essent, docet LAY. l. l. p. 365. 367. 644. 651.

p. 129. Immanis crudelitatis, qua Assyrii in captivos animadvertebant, atrocissima exempla exhibet LAY. l. l. p. 456. 458 all.

INDEX.

Typis excudebant Fratres Unger

Verlag von **Wilh. Hertz** (Bessersche Buchhlg.) in Berlin.

Stier, Rud., Die Gemeinde in Christo Jesu. Auslegung des Briefes an die Epheser. 2 Bde. gr. 8. 67 Bogen. geh. Pr. 5 Thl.

— — Der Brief Judä, des Bruders des Herrn. Als prophetische Mahnung allen Gläubigen unserer Zeit, die sich bewahren wollen, ausgelegt. gr. 8. geh. Pr. 20 Sgr.

— — Formenlehre der hebräischen Sprache. Systematisch und sprachphilosophisch mit durchgängiger Beispielsammlung als Grundlage einer vorbehaltenen Satzlehre geordnet. gr. 8. Pr. 1 Thlr. 15 Sgr.

— — Privat-Agende, d. i.: allerlei Formular und Vorrath für das geistliche Amt. Zweite vermehrte Auflage. gr. 8. geh. Pr. 1 Thlr. 21 Sgr.

Liturgische Andachten der Königl. Hof- und Domkirche für die Feste des Kirchenjahrs. Im Auftrage herausg. von F. A. Strauss. Mit einer vollständigen Sammlung leicht auszuführender kirchlicher Chorgesänge. 2te vermehrte Auflage. gr. 8. geh. Pr. 20 Sgr.

v. Gerlach, Otto, Predigten über herkömmliche Perikopen und freie Texte, gehalten in der St. Elisabethkirche zu Berlin in den Jahren 1836 — 1840. Herausgegeben von G. Seegemund. gr. 8. geh. Pr. 24 Sgr.

Verhandlungen der Wittenberger, Stuttgarter, Elberfelder und Bremer Kirchentage in den Jahren 1848 — 1852. gr. 8. Pr. 4 Thlr. 19 Sgr.

Lepsius, Richard, Briefe aus Aegypten, Aethiopien und der Halbinsel des Sinai. Mit 3 Tafeln. gr. 8. Pr. 2 Thlr. 26 Sgr.

Actenstücke aus der Verwaltung der Abtheilung des Ministeriums der geistlichen Angelegenheiten für die inneren evangelischen Kirchensachen vom 26/1 1849 bis 11/6 1850. Amtlicher Abdruck. gr. 8. geh. Pr. 15 Sgr.

— — aus der Verwaltung des Evang. Ober-Kirchen-Rathes. 1.—5. Heft. gr. 8. geh. Pr. 1 Thlr. 9 Sgr.

Babylon und Jerusalem. Ein Sendschreiben mit einer Nachschrift von Ida Gräfin Hahn-Hahn. kl. 8. geh. Pr. 16 Sgr.